DE

SCRIPTORIBUS

RERUM ALSATICARUM

HISTORICIS

INDE

A PRIMORDIIS AD SÆCULI XVIII EXITUM

thesim proponebat facultati litterarum Parisiensi

RODOLPHUS REUSS

ARGENTORATI

APUD FRIDERICUM BULL

—

1897

DE

SCRIPTORIBUS

RERUM ALSATICARUM

HISTORICIS

DE

SCRIPTORIBUS

RERUM ALSATICARUM

HISTORICIS

INDE

A PRIMORDIIS AD SÆCULI XVIII EXITUM

thesim proponebat facultati litterarum Parisiensi

RODOLPHUS REUSS

ARGENTORATI

APUD FRIDERICUM BULL

—

1897

Impr. Als. anct G. Fischbach, Strasbourg. - 1894.

MEMORIÆ

PATRIS MEI DILECTISSIMI

SACRUM

PRÆFATIO

Quum mihi proposuissem de scriptoribus rerum alsaticarum disserere, multa me deterrebant quominus huic incumberem studio. Nam non solum apparebat rem tantæ difficultatis fore ut nisi ab eruditissimo viro perfici non posse videretur, sed etiam gravissimis argumentis inceptum ipsum impugnatum iri sentiebam.

Quorum argumentorum unum est quod res Alsaticæ tractari non possunt, sicuti (ut exemplo utar) res Britanniæ vel Saxoniæ vel Siciliæ, propterea quod Alsatia re vera nunquam una fuit respublica, nisi ab illis temporibus quum jam fata ejus cum fatis Gallo-francici imperii conjuncta sunt. Hæc vero causa fuit cur ea quæ in hac provincia cis-rhenana evenerunt, quum multas in civitates per tot sæcula medii aevi et usque ad exitum sæculi XVIII occasumque borbonici regiminis divisa esset, scriptoribus res singulorum principatuum et urbium potissimum investigantibus raro thema quoddam unicum narrationis præberent.

Alterum est quod Alsatiæ fines non semper una et eadem topographorum delineatione terminati sunt, et ab alio erudito scriptore non sine justa causa in hujusmodi opere aliter circumscribi possunt, sive pars meridionalis Palatinatus rhenani hodierni, inter Queicham et Lauteram sita, jure suo Alsatiæ aggregatur, sive Sundgovia, quæ historiarum scriptorum errore cum Alsatia superiore connecti solet, ex his finibus merito excluditur.

Tertium est denique quod in nostri opusculi dispositione vituperari potest : enumeratio scilicet quum scriptorum de quibus his

in pagellis scribendum sit, tum documentorum quæ scriptis historicis adnumeranda sint; nam de his etiam eruditissimi viri valde inter se dissentiunt.

Nobis vero, quod ad primam earum quæstionum pertinet, constitutum est non solum omnes scriptores de rebus Alsaticis universis, quos raros solum et novissimis modo temporibus invenimus, hac in dissertatione recensere, sed etiam illos, multo frequentiores, qui de diversis Alsatiæ civitatibus, urbibus, monasteriis cæterisque notitias historicas ediderunt. Quod vero ad fines Alsatiæ attinet, nomen provinciæ sensu latissimo interpretandum putavimus, omniaque loca quæ per medii aevi tempora sequentiaque sæcula hoc vocabulo comprehendebantur, nos quoque pro Alsatico territorio habebimus. Tertiam vero quæstionem ita resolvendam judicavimus ut non omnes qui de rebus Alsaticis passim scripserunt, notandi, nec omnia quæ de his rebus quovis modo conscripta sunt, a C. Julii Cæsaris sæculo ad nostra usque tempora, huc afferenda sint. Non enim farrago quædam de omni re alsatica fieri debet, sed ea solum congerenda sunt quæ in Alsatica terra conscripta, et de his modo disserendum quæ re vera opera historica dici possunt.

His in paginis igitur omittentur, ut exempla adhibeam, scriptores vel græci, vel latini, C. Julius Cæsar, Ptolemæus, Ammianus Marcellinus, et alii qui ante Romani Imperii occasum res in Alsatia gestas tetigerunt, scriptores etiam chronicorum aut annalium christicoli, qui Romanas opes dirutas et in iis res alsaticas aliquot memoriæ posteriorum tradiderunt, ut Gregorius Turonensis, Fredegarius, cæteri. Nec hic invenientur annalistæ mediævales germanici vel gallici qui breviter solum et casu quodam adducti, sparsim de provinciæ fatis mentionem in scriptis suis fecerunt, ipsi extraneis locis oriundi. Qui vero in Alsatico solo nati, aliis de rebus quam de patriis historias scripserunt, sequentibus in paginis, nisi fugitivo calamo non enumerabuntur.

Cartularia monasteriorum aut urbium, diplomata, epistolæ publicæ privatæque, necrologia, rotularia cæteraque, quæ documenta sane ad historiam conscribendam pretiosissima sunt, hoc ex cata-

logo excludentur, etiamsi ad melius cognoscendos Alsatiæ fastos multum conferant, quia non recte opera historica nominari possunt et hac ex causa in dissertatione de historicis alsaticis commemorari non debent.

Excludendas putavimus etiam Ephemerides sæculorum XVI et XVII (*Zeitungen*, *Berichte*, *Relations*), sive impressæ sunt sive manu scriptæ, quoniam raro locus ubi prelo subjectæ fuerunt, rarius autem scriptorum auctor reperiri potest. Neque diaria ecclesiastica (*Kirchenbücher*, *registres paroissiaux*) per Alsatiæ nostræ fines a sacerdotibus parochialibus sæpissime notis historicis illustrata notavimus, quod minimis solum et in exiguo circuitu cognitis rebus plerumque intenti erant annotatores isti, qui vix historicorum nomine designandi sunt. Alia tandem recentiorum sæculorum documenta benevolus lector hic non quærat, Epicedia illustrium virorum, protocolla cæremoniarum publicarum (*Entrées royales*, etc.), orationes academicas, memorialia juridica, quæ omnia etsi historico studio materiam perutilem præbent, proposito nostro aliena et alio jam loco illustranda sunt.

Etsi materiam nostram hoc modo minuendam putavimus, ne vires nostræ impares labori essent, tamen eam utilitati alicui nostratibus futuram esse speramus, quod his in pagellis, tam ex bibliothecis et archivis publicis quam e privatorum scriniis opera Alsaticorum historicorum, sive jam diu prelo mandata sive adhuc incognita fuerunt, latino aut germanico aut gallico sermone scripta, collata et chronologico ordine instructa sunt. Et brevibus notulis, quid de scriptorum vita notum sit, adjiciemus, et, opera ipsa perlustrantes, merita vitiaque eorum notabimus, et ex quibus fontibus hauserint indicabimus. Itaque scriptoribus hodiernis catalogum præbebimus historiographiæ alsaticæ commodum, quo usi fortasse securius quam antea fontes rerum alsaticarum adire poterunt.

Quo in opere instruendo quum utilissima tum jucundissima fuit mihi liberalitas humanissimorum virorum bibliothecis publicis aut archivis præpositorum qui non dubitaverunt incepto meo consiliis dandis atque manuscriptis mutuandis favere. Quibus

omnibus gratias ago quam maximas, animo eo magis beneficiorum memori quo minus adjumenti ab hominibus privatis mihi latum est, quanquam identidem oravi et obsecravi ut me, etsi brevissima litterarum significatione, de documentis aut narrationibus in domiciliorum latebris reconditis certiorem facerent.

Quantum absit ut catalogus ille sine mendis et gravissimis lacunis exstet, nemo melius scit auctore hujus tentaminis, neque quisquam libentius proclamabit et jam iis gratias magnas habebit qui mendas operis seu additionibus seu lituris sublaturi sint. Quis enim dubitat quin multa hujusmodi scripta adhuc reperiunda et ex carceribus bibliothecarum tam publicarum quam privatarum eruenda sint; multa etiam, quæ hic breviter exponentur, planius et solidioribus argumentis demonstrari possint; nonnulla tandem omnino everti et refici opus sit? Amplissimum præmium consequetur auctor si, adjuvante hoc opusculo, studium historiæ patriæ cui jam per tringinta annos incubuit, aliquantulo tantum promovere ei contigerit.

INDEX OPERIS

§ 1. De antecessoribus in evolvendis historicis alsaticis.

Antecessores in hoc constituendi nostri catalogi labore eos designamus qui seu edendis veterum Alsatiæ scriptorum textibus materiam operis præbuerunt, seu antea jam catalogum ipsi auctorum colligere conati sunt. E quibus illorum maximus, horum admodum parvus numerus adferri potest : quos rapido jam calamo hic enumeraturi sumus.

Non multo post artem impressoriam inventam primum scriptum de rebus alsaticis typis mandatum invenimus; textus enim Jacobi a Kœnigshoven, etsi anonymus et mutilus, jam anno 1474 a Johanne Bæumler Augustæ Vindelicorum in lucem editus est[1]. Sæculo insequenti, Johannes Spiesshammer, cui vulgo Cuspinianus nomen datur, Universitatis Vindobonensis curator, et vir pro tempore eruditissimus[2], quum Jordanis et Ottonis a Freisingen editiones protulisset, fragmenta quoque annalium alsaticorum in opere præsertim suo *De Cæsaribus et imperatoribus* postumo evulgavit[3]. Eodem fere tempore Johannes Hervagius collectioni suæ scriptorum variorum de rebus germanicis Jacobi Wimphelingii Selestadiensis *Epitome imperatorum germanicorum* inseruit[4],

[1] Vide Carolum Hegel, *Strassburger Stædtechroniken*, Leipzig, Hirzel, 1870, T. I, p. 225.

[2] Schweinfurtii natus anno 1473, Vindobonæ denatus 19 Aprilis 1529.

[3] Editum est a Gasparo Hedione, Argentorati, 1540. Ad mortem Maximiliani imperatoris perducta est narratio. Vide ibidem Cuspiniani vitam a Nicolao Gerbelio conscriptam. Confer etiam F. X. Wegele, *Geschichte der deutschen Geschichtswissenschaft*, München, 1885, p. 106.

[4] J. Hervagius, Wittekindi Saxonis rerum ab Henrico et Ottone I imperatoribus gestarum libri III una cum aliis quibusdam raris... diversorum autorum historiis. Basileæ, 1532, folio, p. 315.

quod opus cum Hieronymi Guebwileri libro qui inscribitur *Libertas Germaniæ*, apud Simeonem Schardium exstat[1]. Is vero qui primus (credo propter vicinitatem locorum) ejusmodi collectioni scriptorum Imperii Romano-Germanici copiosiorem alsaticorum historicorum numerum adsciverit, fuit Christianus Urstisius (Wurstisen), Basileensis, natus anno Domini 1544, in Universitate patria matheseos primum professor, tum secretarius Consilii Reipublicæ secreti (*Rathschreiber*), ibidem anno 1588 vita defunctus; qui in secundo compilationis suæ tomo Annales prædicatorum Colmarienses, Alberti Argentinensis chronicon, (quod nunc sæpius Mathiæ Neoburgensis nomine designatur), eiusdem Vitam Berchtoldi a Buchegg, Argentinensis episcopi, et fragmenta quædam alia typis excudere curavit, quam editionem, ad nostra usque tempora, unicam in manus habebant eruditi[2].

Postea vero, per plenum sæculi fere spatium nemo fuit qui hisce laboribus operam navaret, nisi Johannis Michaelis Moscherosch, poetæ satyrici celeberrimi, in sæculo septimo decimo circiter medio, novas editiones versionesque opusculorum Wimphelingii his adnumerare velis. Cujus sæculi jam ultimis lustris appropinquantibus, opera J. Henrici Bœcleri, Ulrici Obrecht et Johannis G. Kulpis, Universitatis Argentoratensis professorum, novi quidem textus historiam Alsatiæ illustrantes in publicum traditi, inter quos Nithardus præsertim et Erckenbaldi, Argentinensis episcopi sub Ottone Magno, carmen de antecessoribus in episcopatu notandi sunt[3]. Eisdem fere temporibus Johannes Schilter jurisconsultus celeberrimus, edendo Jacobi a Kœnigshoven chronico Alsatico et

[1] Simon Schardius, Historicum opus, Basileæ, H Petri, 1574, 4 voll. folio, tom. I, p. 349 et p. 433.

[2] Christ. Urstisius, Germaniæ historicorum illustrium, quorum plerique ab Henrico IV imperatore usque ad annum Christi 1400 gentis ejus res gestas memoriæ consecrarunt, tomus secundus. Francofurti, apud hæredes Andr. Wechel, 1585, fol. Recusum est Urstisii opus anno 1670 et textus quorum mentio fit superne reperiuntur in hac posteriore editione, tom. II, p. 5, 37, 74, 97, 167.

[3] Scriptores rerum germanicarum a Carolo Magno usque ad Fridericum III inclusive, etc. Argentorati, 1685, folio, deinde anno 1702, novo sub titulo iterum in lucem dati. Cfr. p. 83, 111, 113, 120.

Argentoratensi eruditionis historicæ specimen attulit; sed ejus exemplum, nescio quo fato, per decem fere lustra nemo secutus est.

Sub finem sæculi decimi octavi Philippus Andreas Grandidier, antiquorum monasticorum annalium fragmenta, nec non Sanctorum vitas quasdam, ut appendices, narrationi suæ, præmature a dira morte interruptæ, adjunxit, et Guillelmus Christophorus Koch scriptores Alsatiæ, res germanicas illustrantes, ex schediis Schœpflini recensitos, in lucem se daturum esse promisit. Sed prospectus operis solus anno 1785 publicatus est, et magna Galliæ perturbatione mox inchoata, Kochioque ad publica officia provecto, verisimile est laborem ne inceptum quidem fuisse a celeberrimo juris publici professore. In nostro quidem sæculo quod re vera studio præsertim historico dicatum habetur, hæc patriæ historiæ fontium evulgatio a multis jam eruditis viris suscepta quotidie progreditur. Nomina virorum hac de re bene meritorum, Adami Strobel, Ludovici Schneegans, Friderici Bœhmer, Caroli Gérard, Xaverii Mossmann, Augusti Stœber, Philippi Jaffé, Josephi Studer, Francisci Josephi Mone, Caroli Hegel, Josephi Liblin, Georgii Stoffel, Juliani Sée, Julii Rathgeber, Leonis Dacheux, Guillelmi Wiegand, Aloysii Schulte, Augusti Bernoulli, Josephi Gény, ceterorum qui, sive in edendis chronicis novis, sive in expurgatione critica textuum jam antea impressorum, sive in elucidatione fontium opera omni laude digna in lucem tradiderunt, notissima sunt omnibus qui his materiis vel minimam operam contulerunt, quorum fortasse nomini et meum adnumerare licebit, quum tricesimum jam annum in edendis Argentoratensibus nostris chronicis, prout adhuc supersunt, operam pro viribus lubenter dedi.

Evulgatione hac textuum multo tardius invenimus tentamen *recensionis* eorum omnium qui de rebus alsaticis scripserunt, tam eorum quorum scripta typis jam evulgata sunt quam eorum præsertim quorum narrationes modo manu scriptæ in bibliothecis asservabantur. Quanquam et sæculo sexto decimo jam notandi sunt quidam, in quorum operibus enumeratio fit fontium quibus usi sunt, ut apud Wimphelingium, Gebwilerum, Beatumque Rhe-

nanum; et insequenti sæculo in Guillimanni, Coccii, Bebelii, Obrechti scriptis *index auctorum* ad calcem operis exhibetur, sed ea solum ratione ut citata eorum verba facilius a lectoribus reperiantur, non ut ex iis conspectum omnium qui materiam tractaverunt scriptorum habeas. Christophorus Guillelmus Koch, primus, nisi fallor, catalogum auctorum eo tempore jam cognitorum ad res Alsaticas spectantium contulit, quem in volumine tertio Bibliothecæ Gallo-Francicæ Rev. Patris Le Long, opera eruditissimi viri Fevret de Fontette denuo impressæ et auctæ, anno 1771 in lucem prodidit[1]. Paulo post Xaverius Horrer, in præliminario discursu operis sui, *Dictionnaire d'Alsace*, cujus primo soli volumini e cunabulis exire contigit, scripta hujus generis, sicut ipsi nota fuere, congessit[2]. Nostris fere temporibus, Joh. Fridericus Hermann Annales præsertim ineditos patriæ urbis in libro suo *Notitiarum Argentinensium* breviter enumeravit[3] et eum secutus est N. Breu, qui in appendice descriptionis historicæ et topographicæ Alsatiæ, a Johanne Friderico Aufschlager conscriptæ, bibliographiam historicam totius provinciæ non sine mendis constituit[4]. Adamus etiam Gualtherus Strobel in sex tomis *Historiæ Alsaticæ* multos passim paragraphos de his scriptis historicis studioso lectori affert[5]. Notitiam systematicam, sed quæ libros præsertim typis evulgatos complectitur, typographo et bibliopolæ eruditissimo Friderico Carolo Heitz debemus, in primo volumine operis *Description du département du Bas-Rhin*[6]. Cujus opusculum nunc et ex catalogo propriæ bibliothecæ, olim a me collato, et ex cata-

[1] *Bibliothèque historique de la France*, Paris, Hérissant, 1768, ss. fol., tom. III, p. 586-591.

[2] *Dictionnaire d'Alsace* (s. nom. auctoris), Strasbourg, Levrault, 1787, 4°, p. V-XVI.

[3] J. F. Hermann, *Notices historiques et statistiques sur la ville de Strasbourg*, Strasb., Levrault, 1817, 8°, t. I, p. XI-XX.

[4] J.-F. Aufschlager, *Description historique et topographique de l'Alsace*, Strasb., Heitz, 1825, tom. I, p. 112.

[5] A. W. Strobel, *Vaterländische Geschichte des Elsasses*, Strassb. Schmidt, 1842-1850, 6 vol., 8°, *passim*.

[6] *Description du département du Bas-Rhin*, publiée sous les auspices de M. S. Migneret, préfet, Strasb., Berger-Levrault, 1858-1871, 8°, tom. I, p. 417.

logo bibliothecæ jurisconsulti Colmariensis celeberrimi, Ignatii Chauffour, multo amplificari potest[1], quia uterque splendidum *Alsaticorum* thesaurum et paene integrum habebat, quorum prior jam a Bibliotheca Universitatis novæ Argentinensis emptus, alter Bibliothecæ civitatis Colmariæ testamento dono datus est.

Non titulos solum et enumerationem scriptorum, ut in libris supradictis, sed judicium etiam de meritis eorum critica arte fundatum in voluminibus Guillelmi Wattenbach[2] et Ottocari Lorenz[3], virorum de omnibus historiæ medii aevi studiosis optime meritorum invenies. Quibus nuper et postumum opus Georgii a Wyss, viri Turicensis eruditissimi adjunctum est, in quo multa de scriptoribus alsaticis congesta sunt[4]. Sed a quinti decimi sæculi exitu perpaucæ modo notitiæ de scriptoribus historicis Alsatiæ collectæ sunt, quum Xaverius a Wegele, in opere suo eruditissimo[5], recenter edito, historiæ territoriali minimum locum tribuere potuerit, atque inedita scripta quæ de rebus alsaticis tractant omnino ignoraverit. Quare his ex sæculis XVI, XVII, XVIII nostris in pagellis nonnulla scripta, antea non cognita, benevolus lector animadvertet.

§ 2. **De initiis historiographiæ alsaticæ.**

Provincia nostra, ut Schœpflinus in *Alsatiæ illustratæ* præfatione recte monet « magnorum eventuum theatrum semper claruit, præcipuam tamen fatorum suorum partem ignorat, antiqua quod nullos, media, quod paucos et quidem ex genio temporum jejunos

[1] *Bibliothèque Alsatique, catalogue de la bibliothèque de M. C. F. Heitz*, avec une introduction par Rod. Reuss, Strasb., Heitz, 1868, 8°. *Catalogue de la Bibliothèque de M. Ignace Chauffour*, par M. André Waltz, bibliothécaire de la ville. Colmar, Jung, 1891, 8°.

[2] *Deutschlands Geschichtsquellen im Mittelalter*, von Wilhelm Wattenbach, 5. Auflage, Berlin, Hertz, 1885, 2 vol., 8°.

[3] *Deutschlands Geschichtsquellen vom 13—15 Jahrhundert*, von Ottokar Lorenz, 3. Aufl. Berlin, Hertz, 1886, 2 vol. 8°.

[4] *Geschichte der Historiographie in der Schweiz*, von Georg von Wyss, Zürich, Faesi, 1895, vol. 8°.

[5] *Geschichte der deutschen Geschichtswissenschaft*, von F. X. von Wegele, München, Oldenbourg, 1885, in-8°.

sterilesque produxit scriptores, fatum exteris quoque provinciis cum nostra commune. » Inter annalistas Alsatiæ re vera nullus sæculo XIII antiquior est. Sed antequam de his disseramus, paucissimis liceat verbis aliquot enumerare scriptores, qui jure quodam alsaticis historiographis adnumerari possunt, etsi Elisatiæ pagus iis natale solum non fuit.

Eorum, ordine temporum, antiquissimus est Ermoldus Nigellus, clericus aquitanus, Pipini regis, Ludovici Pii filii, socius; qui quum juvenem videretur ad rebellionem contra paternas voluntates incitasse, ab imperatore in exilium Argentinam missus, in tutelam Bernoldi hujus civitatis episcopi datus est. Scripsit ibidem libros quatuor poematis in honorem Ludovici Pii sub finem circiter anni 826 post Chr. n. ubi de magnificentia Ecclesiæ cathedralis Argentinensis in visione quadam Theutramni hujus ecclesiæ custodis, fusius verba facit. Elegiam quoque ad regem Pipinum de exilio suo misit in qua, Thalia musa ipsa locuta, urbis, vastæ Rheni planitiei, commerciorum alsaticorum, divitiarum provinciæ naturalium descriptionem insignem affert et primus omnium de alamannico Strateburgo loco Argentorati romani, a barbaris jam diu diruti, mentionem copiosiorem facit [1].

Nithardum, Angilberti filium, Caroli Magni nepotem, etsi rerum alsaticarum auctor nominari non potest, tamen non omnino silentio prætereundum putavimus, quum in *Historiarum* libris de rebus in provincia nostra per primam sæculi noni partem gestis meritissime nonnulla servaverit et in specie nobilissimum illud pactum Argentoratense, inter Ludovicum Teutonicum Carolumque Calvum, fratres regios, conclusum enarraverit [2].

[1] Ermoldi poemata exstant in codice membraneo Bibliothecæ curiæ imperialis Vindobonensis, sæculi XI (Hist. profan., nº 992, 4º); edita sunt apud Muratori, Scriptores rerum italicarum (II, 2, p. 13-80), apud D. Bouquet (tom VI, p. 1-66), apud Pertz, Scriptores (II, p. 464-523), et recentissime apud E. Duemmler, Poetæ latini aevi carolingici, Berolini, 1884 (T. II, p. 1-91.). Versionem germanicam Theodori Reinhardt in periodico *Jahrbuch des Vogesenclubs* (Strassburg, 1886) invenies. De poetæ ipsius vita scripserunt etiam A. Ebert (*Geschichte der Litteratur des Mittelalters im Abendlande* (Leipzig, 1880, II, p. 170) et G. Wattenbach, *op. cit.* I, p. 196.

[2] M. H. G., Scriptores, II, p. 649-672.

His vero quæ supra diximus exceptis, per tria fere sæcula nullum reperitur scriptum quod in patrio solo natum patriaque gesta commemorans, memoratu sit dignum. Vix enim aliquot juridicæ formulæ Murbacenses sæculi VIII exeuntis formulæque Argentinenses sæculi IX et verbo quidem, hic commemorandæ sunt [1] nec catalogos fratrum monasteriorum quorumdam alsaticorum [2] necrologiaque cœnobiorum nostris temporibus in lucem producta in scriptorum numero adscisci velis [3]. Annalistarum vero Carolingicæ ætatis nullus ad territoria nostra pertinet.

§ 3. De Vitis Sanctorum.

Unam his in medii aevi sæculis, scientia paene orbatis, narrationis historicæ formam invenimus, quæ jam non prætermittenda est quanquam fide candida magis quam arte critica inspicienda est et fictos sæpius quam certos eventus lectoribus tradit: dico Vitas Sanctorum quos Ecclesia Christi per barbaras gentes undique nascens aut renascens hoc tempore celebrare juvat et quorum miracula fidelium venerationi precibusque proponit.

Perlonga est enumeratio piorum virorum qui Evangelium per Alsatiæ pagos propagaverunt sanctarumque feminarum quas Ecclesia triumphans et illis jam temporibus et postea in Beatarum numerum recepit: quorum fata sortesque varios Xaverius Hunckler in opere suo jam semisæculari fusius exposuit [4].

[1] Monumenta, Legum sectio V, Formulæ merovingici et Karolini aevi, ed. Karl Zeuner, Hannoveræ, 1886, 4° (p. 329-338).

[2] Monumenta, Libri confraternitatum S. Galli, Augienses, Fabarienses, ed. P. Piper, Berolini, 1884, 4°. Insunt nomina fratrum Maurimonasterii (p. 246), Sancti Stephani Strasburgensis (p. 43. 325), Surburgii (p. 222), Aprimonasterii (p. 223), Haslacensis (p. 221), Murbacensis (p. 208), Wissenburgensisque monasteriorum (p. 71-74, 210).

[3] Necrologia Wissenburgensia apud F. Mone exstant (*Zeitschrift für Geschichte des Oberrheins*, XIII, p. 492), Necrologia Argentoratensia apud Mone (*Anzeiger*, 1838, p. 9-21), Mooyer (*Archiv*, XIII, 3, p. 69-91) et Baumann (*Neues Archiv*, VII, p. 19-41, VIII, p. 425-447) invenies.

[4] *Histoire des Saints d'Alsace*, par l'abbé Xavier Hunckler, Strasbourg, Levrault, 1837, 8°.

Ibidem et S. Fridolinum, Alsatiæ apostolum, S. Amandum, S. Arbogastum, S. Florentium, Argentoratenses episcopos, S. Pirminum Murbacencis monasterii, S. Leobardum, Maurimonasterii conditores, S. Deodatum, cœnobii Novientensis patrem, S. Ludanum, S. Morandum Sundgovianæ terræ patronum, S. Richardem, imperatricem, S. Attalam, S. Odiliam, totius Alsatiæ patronam, et multorum aliorum nomina ille inveniet quem legendaria piaque magis quam certis documentis firmata narratio delectat.

Illæ vero *Vitæ* quum tempore quo scriptæ sunt tum et meritis inter se valde differunt nec eodem judicio dijudicandæ sunt nec eamdem ab hodiernis viris fiduciam postulare possunt. Quarum vitarum antiquissimæ, etsi brevibus modo verbis res trans Vosagum publice gestas tangunt, illorum tamen temporum imaginem minus erroribus deformatam et præsertim in rebus ecclesiasticis fideliorem præbent, ac, quamvis summa prudentia, historiarum scriptores auctoris anonymi testimonium adhibere possunt. Sed in earum numero multas etiam invenimus *Vitas* quæ jam sæculis nonnullis post sanctorum exitum compilatæ, sæpius ad communem *Vitarum* formam negligenter exstructæ, nullius momenti ad elucidandos illorum temporum annales habendæ sunt.

Idcirco paucissimas hîc enumeraturus sum, inter quas *Vita S. Arbogasti*, episcopi Argentinensis[1] († 678), *Vita S. Florentii*, episcopi Argentinensis sæculi septimi [2], *Vita S. Richardis* imperatricis et virginis, quæ cœnobium apud Andlaviam condidit [3], *Vitæque* variæ *S. Odiliæ*, Etichonis seu Attici Alsatiæ ducis filiæ

[1] Jam in *Historia Lombardica* (Argentorati, 1496, 4°) reperitur, tum apud *Acta Sanctorum* (21 Julii), tom. V, p. 177-179, et apud Grandidier, *Histoire de l'Église de Strasbourg*, Strasb., 1777, 4°, tom. I, pièces justificatives, n° 18. Confer etiam Rettberg, *Kirchengeschichte Deutschlands*, II, p. 64, et Friedrich, *Kirchengeschichte Deutschlands*, II, p. 506.

[2] Apud J. Surium, *Vitæ Sanctorum* (in editione anni 1575), tom. VI, p. 136; apud Grandidier, *op. cit.*, tom. I, pièces justificatives, n° 22, et apud Carolum Schmidt, *Histoire du Chapitre de Saint-Thomas*, Strasb., 1860, 4°, p. 283. Confer etiam Rettberg, *op. cit.* II, p. 65 et Friedrich, *op. cit.* II, p. 508.

[3] Vide Carolum Deharbe, *Sainte Richarde, son abbaye d'Andlau, son église et sa crypte.* Paris, typ. Renou, 1874, in-8°. — AA. SS. (18 sept.) tom. V, p. 793-798.

celeberrimæque Hohenburgensis monasterii abbatissæ († circa 720), ut antiquiores nominandæ sunt. Quarum prima uni de S. Arbogasti successoribus, Uthoni episcopo († 965) tribuitur, ceteræ vero decimo undecimoque sæculo, forsitan et duodecimo partim sæculo conscriptæ videntur. Nostris enim temporibus, ut superioribus, varie de earum chronologia disseritur, ut Vitas S. Odiliæ antiquissimas alii auctoris fere coævi opus esse existimant eisque maximam auctoritatem tribuunt, alii vero contendunt eas desinente modo sæculo duodecimo delineatas esse et documenta historica nullius ponderis esse declarant [1].

Aliæ jam Vitæ, ut *Vita S. Morandi* Cluniacensis in Altkirch monachi [2], et *Vita S. Ludani*, peregrini in diœcesi Argentinensi († 1212) [3], sæculo decimo et tertio vel quarto attribuendæ. Sunt quædam præterea hagiographorum anonymorum elucubrationes quæ multo recentius formam nobis cognitam induerunt, ut *Tomus miraculorum S. Theobaldi*, de quo alibi, apud auctores sæculi decimi et sexti brevius loquemur [4].

[1] Fragmentum Vitæ « auctoris fere coævi » apud Grandidier, *op. cit.*, tom. I, pièces justificatives nº 27. — Vitam alteram S. Odiliæ (seu Ottiliæ) auctori sæculi XI tribuit Potthast in *Bibliotheca historica medii ævi*, p. 835, minimæ sane quidem auctoritatis. Quam apud Grandidier, *Histoire d'Alsace* (tom. II, preuves, p. L-LIII) reperimus, desinente sæculo decimo secundo conscripta dicitur. Non est hîc locus in brevissimo Alsaticorum historicorum conspectu longius de his verba facere quamvis S. Odiliæ vita insigne affert exemplum quam contradictorie de eadem re sentiant eruditi. Optime de his nuperrime disseruit C. Pfister, in Universitate Nanceiensi historiarum professor doctissimus, in opere : *Le duché mérovingien d'Alsace et la légende de Sainte Odile*, Paris, Berger-Levrault, 1892, 8º. — Vitam S. Odiliæ ipsam vir eruditissimus in *Analectis Bollandianis*, tomo XIII, et separatim (Ch. Pfister, *La Vie de Sainte Odile*, Bruxelles, impr. Polleunis, 1894, 8º) copioso cum indice manuscriptorum edidit. Cum ejus opusculo conferendæ sunt notulæ Guillelmi Wiegand in periodico *Zeitschrift für Geschichte des Oberrheins*, VII, p. 730 s., in quibus de ætate præsertim manuscriptorum *Vitæ S. Odiliæ* nonnulla nova affert.

[2] Excerpta Vitæ S. Morandi, conscriptæ post sæculum decimum secundum ex bibliotheca Cæsarea Vindobonensi affert Grandidier (*Histoire d'Alsace*, tom. II, preuves, p. CCIV).

[3] Exstat in A.A. SS. (12. Februarii) tom. II, p. 638-639, ab auctore anonymo.

[4] *Tomus miraculorum S. Theobaldi*, herausgegeben von G. Stoffel, Colmar, Jung, 1875, in-8º.

§ 4. De Annalibus monasticis sæculorum XII-XIV.

Christiano in orbe universo per longa sæcula neminem præter clericos annalium libros et chronicalia scripsisse omnibus satis compertum est. Intra Alsatiæ quoque monasteriorum tuta mœnia, dum extra furit barbarorum ignara ferocitas, tenuis litterarum et artium scintilla inter profundas et miserandas ingeniorum tenebras, minore tamen studio vel minus prospero eventu quam aliis in regionibus, servata est. Jam sæculo superiore Schœpflinus dixit inter annalistas nostros neminem sæculo tertio decimo antiquiorem fuisse, licet multa scripta perierint per discrimina temporum, præsertim illo rusticorum tumultu anni 1525, tum quum tot monasteria per utramque Rheni ripam direptione aut incendio vastata sunt. Tum Masoniana, Mauriana, Surburgensia, Neoburgensia, multarum aliarum ecclesiarum tabularia deleta esse recte ille Alsaticæ historiæ pater monet. Multo plura tamen exstiterunt intacta claustra, quorum in archivis et bibliothecis nulla aut vix notanda fragmenta historici studii reperta sunt, quum summo studio per omnia loca inquireret vir celeberrimus, Philippus Andreas Grandidier, quem ut clericum et summo tunc diœceseos rectori gratissimum virum certe non latuissent si omnino exstitissent.

Neque tamen alsaticum clerum ceteris rudiorem fuisse arbitramur quum constet pristinis jam sæculis libros in thesauris ecclesiarum et monasteriorum ab eo collectos[1] et varii generis scripta in

[1] Exempli gratia splendidum Canonum codicem a Rachione episcopo circa annum 788 collectum et incendio anni 1870 combustum hîc nominamus, de quo Guillelmus Christophorus Kochius in tomo VII operis *Notes et extraits des manuscrits de la Bibliothèque du Roi* fusius scripsit. Et Wernherum episcopum, anno 1027 a rege Conrado II Constantinopolim missum, hac ex urbe multa magnique pretii manuscripta Argentoratum adportasse narrat Wipo in *Vita Chuonradi* (Wattenbach, *op. cit.* II, p. 16).

lucem edita fuisse. Sed theologiæ studium historiæ anteponebant [1] aut externa modo facta pergamenis inscribebant [2].

Antiquissimum historiographiæ nostræ monasticæ specimen exstant *Notitiæ historicæ Altorfienses* ex manuscripto quodam Conradi abbatis quod *Thanatologium* inscribitur, depromptæ, in quo libro indices mortuorum, anniversaria antiqua variaque alia notatu digna, nec non jura monasterio data consignata fuere [3]. Textus noster virum celeberrimum Grandidierium non præteriit [4], nec mirum quia anno 1748 adhuc codex ille exstabat, anno 1200 renovatus, ut affirmat P. Amandus Trensz, eiusdem tum monasterii abbas, qui ex antecessoris sui notitiis excerpta de rebus passim per Alsatiam ab anno 1132 ad annum 1334 gestis, præsertim ecclesiasticis, nobis servavit [5]. Quæ fragmenta nuper a viro doctissimo Aloysio Schulte evulgata sunt [6]. Aliæ jam *Notitiæ Altorfienses* ex eodem Sancti Cyriaci monasterio brevissimæ ad annum 1049 et annum 1051 editæ sunt in *Monumentis historiæ Germaniæ* [7].

[1] Sic Hesso, scholasticus Argentinensis, relationem scripsit de Concilio Remensi anni 1119 (a Wattenbachio in Monumentis Hist. Germ. XII, p. 422-428, editam); sic priore jam sæculo Manegoldus monachus Lautenbacensis, librum ad Gebehardum archiepiscopum Salisburgensem circa annum 1085 edidit, quem K. Francke in opere: *Libelli de lite imperatorum et pontificum sæculo XI et XII conscripti* (Hannoveræ, 1890, 4°, tom. I, p. 300-430,) in lucem protulit. Cfr. etiam Guillelmum Giesebrecht: *Ueber Magister Manegold von Lautenbach u. seine Schrift gegen den Scholasticus Wenrich*, in periodico *Sitzungsberichte der bay. Akad. der Wissenschaften, Historische Klasse, 1868*, p. 297-330.

[2] Burchardus vicedominus Argentinensis ab Friderico I imperatore ad Saladinum anno 1175 missus, itineris et rerum gestarum relationem scripsit. Cf. Laurent, *Burchard von Strassburg* in periodico *Serapeo*, tom. XIX, p. 145-154, et Carolum Schmidt, *Histoire du Chapitre de Saint-Thomas*, p. 294.

[3] Monasterium Sancti Cyriaci O. S. B. Altorfii prope Molshemium, tribus fere leucis ab Argentorato distat.

[4] Grandidier, *Histoire d'Alsace*, tom. II. Preuves. Quæ loca a Grandidierio in editione Annalium Argentinensium citata et a Pertzio in nova eorum recensione (M. H. G., tom. XVIII) repetita sunt non omnino cum Trenszii textu congruunt.

[5] Exstat Trenszii manuscriptum autographum in Archivo Alsatiæ inferioris, Argentorati, H. 4.

[6] *Mittheilungen des Instituts für œstreichische Geschichte*, tom. IV, Innsbruck, Wagner, 1883, p. 209.

[7] *Scriptores*, tomi XV pars secunda, p. 992-995.

Chronicon monasterii Aprimonasteriensis seu Novientensis initiis saltem proxime ponendum est Altorfiensi [1]. Quod chronicon, sed mutilum et multis nævis deformatum evulgavit primus e codice Novientensi « ab annis circiter quadringentis scripto » anno 1717 Dom. Edmundus Martene, sodalitii Benedicti e congregatione S. Mauri presbyter [2]. Attribuit illud eruditissimus editor uni et eidem auctori quem mediante circiter sæculo tertio decimo scripsisse putavit. Sed vir celeberrimus Grandidierius ex antiquiore manuscripto, quod olim Beati Rhenani fuit et tunc in bibliotheca Selestadiensi servabatur, demonstravit duas in chronico exstare partes et duos fuisse aut plures narrationis auctores. Quarum priorem partem post medium duodecimum sæculum scriptam fuisse judicat, quia desinit post Notgeri Aprimonasteriensis abbatis mortem relatam, qui anno 1167 defunctus traditur. Nomen auctoris quem ex iis quæ narrat, monachum ipsius cœnobii fuisse constat, latet et ipsum continuatorem latuit, quia, chronicon absolvens, antecessorem « auctorem excellentem, quisquis ille fuit » in prologo secundæ parti præmisso vocat. Ea vero incipit ab Ottone, abbate anno 1167 electo, atque desinit in Conrado, qui anno 1230 abbas constitutus est [3].

Nostris fere temporibus vir doctissimus Fridericus Bœhmer in *Fontibus rerum germanicarum* notitias ex chronico nostro ad annos 951-1235 pertinentes typis mandavit [4], sed nullo alio nisi præcessorum textu usus est idemque fecit Ludovicus Weiland in *Monumentis Germaniæ historicis* [5]. Is chronicon monacho cuidam anonymo sæculi tertii decimi tribuit, qui tamen longe antiquioribus usus sit notis, quum de rebus quibusdam sæculo XI gestis (ut de

[1] Novientense seu Aprimonasterium (Ebersheimmunster, Ebersmunster) monasterium est O. S. B. quod sæculo septimo post Ch. n. ab Etichone, Alsatiæ duce, prope Benfeldum in Alsatia inferiore fundatum traditur.

[2] Edm. Martene, *Thesaurus Anecdotorum novus*. Parisiis, 1717, tom. III, p. 1125-1160.

[3] Grandidier, *Histoire de la province d'Alsace*, II, 1787 (textus ipse nunquam in lucem productus), preuves, pag. X-XXXVI.

[4] F. Bœhmer, *Fontes rerum Germanicarum*, tom. III (Stuttgart, 1853), p. 10-31.

[5] *Monumenta Germaniæ historica*, tom. XXIII (Hannoveræ, 1874), p. 427-453.

Willone abbate, qui anno fere 1039 fuit) sicut testis oculatus narret.

Harum omnium editionum nulla chronicon amplectitur totum; Martene enim initia narrationis valde fabulosa[1] documentaque narrationi adjecta omittit; Grandidierius, iisdem ipsis documentis neglectis, quum priorem chronici partem in lucem produxisset, morte prohibitus est præmatura quominus et secundam evulgaret. Exstabant tamen manuscripta vel locupletiora vel fragmenta codicum partim in bibliotheca Civitatis Argentinensis destructa, partim in Archivo Alsatiæ inferioris, Argentorati collocato[2]. Ex his adhuc servatis, vir doctissimus, Heinricus Bresslau, capitula priora, nondum edita, S. Materni scilicet et miraculorum ejus in Alsatia factorum historiam recentissime publicavit[3]. Paulo post Christianus Pfister in periodico Nanceii edito[4], ad studia nostra perutili, alia ejusdem chronici fragmenta in vasta *Monastici Benedictini* collectione manuscriptorum sepulta[5], et nunc demum comperta commemoravit. Quæ etsi exeunte modo septimo decimo sæculo, nec sine gravissimis mendis descripta sunt, tamen in Argentinensibus manuscriptis desunt. Sic indefesso et fere bisæculari concursu multorum eruditorum totum jam chronicon nobis denuo constitutum est[6].

[1] His e capitulis a Martene neglectis Schœpflinus unum tantum in *Alsatia illustrata* (Colmariæ, 1751, tom. I, p. 56) adhibuit.

[2] Jam v. c. Carolus Hænel, in *Catalogo librorum manuscriptorum* (p. 462 et 465) codicum duorum (« Topologia Novientensis cœnobii; accedunt diplomata eo spectantia ») mentionem fecit. Nuperius ex bibliotheca F. Reinerii tertius emptus est a bibliotheca, anno 1851, qui omnes incendio anni 1870 nefando deleti sunt. — Extractus Chronici Novientensis sub signatura H. 375 et Extractus e manuscripto nuper a Carolsruhæ Argentinam translato sæculi septimi decimi, de quibus cfr. H. Bresslau, *Ueber die Handschriften des Chronicon Ebersheimense, Neues Archiv* (Hannover, 1891), tom. XVI, p. 547, seqq.

[3] In periodico supradicto, p. 556-559.

[4] *Annales de l'Est*, Nancy, 1891, p. 439.

[5] *Monasticum Benedictinum*, tom. XXXI, fol. 415 seqq., in Bibliotheca Parisiensi Maxima, Mss. latina, numero 12,688 inscriptum.

[6] Cfr. H. Bresslau, *Die Pariser Handschrift des Chronicon Ebersheimense* in periodico *Neues Archiv* 1893 (tom. XVIII, p. 309) ubi et horum fragmentorum specimen, Trebetæ nempe Semiramidisque fabulosam historiam Trevirorumque civitatis fundationem evulgavit.

Si jam critica mente Chronicon Novientense perlustrare velis non magni sane momenti est ad elucidanda antiquiora Alsatiæ nostræ tempora, quod fabulose anonymus auctor res paganas simul et christianas enarrat, sive eas e fontibus hodie deperditis seu ex propria imaginandi facultate sumpsit. Sed ob eam ipsam causam historiarum curiosis monachus ille gratus erit, propterea quod his in pagellis prima species earum legendarum invenitur, quæ postea per omnia Alsatiæ chronica, vel latino vel vulgari idiomate descripta, usque ad sæculi septimi decimi medium servantur et inde a Kœnigshovio nostro usque ad remotas Germaniæ septentrionalis regiones per chronistas allatæ sunt [1].

Notitiam de fundatione et restauratione abbatiæ Ascowiensis, sæculo undecimo conscriptam, ex veteri membrana tabularii episcopalis Tabernis Alsaticis edidit Grandidierius [2], quæ etiam a Pertzio in Monumentis recepta est [3]. Eodem loco aliquot notitias de quorumdam aliorum monasteriorum fundatione reperies, quas non omnino silentio prætermittenda putamus, licet minimi sint pretii ad provinciæ historiam promovendam, fundationem scilicet monasterii S. Leonardi, de anno 1109 [4], notam de fundatione monasterii Sindelsbergensis annis 1115 et 1137 [5], notitiam denique de fundatione Cellæ S. Johannis, prope Tabernas Alsaticas annis 1126-1127 facta [6].

Exeunte paene sæculo tertio decimo Annales Maurimonasterienses ab anonymo quodam monacho cœnobii a S. Leobardo sæculo septimo ineunte fundati, a S. Mauro restaurati (unde ei

[1] Cfr. Wattenbach, II, p. 363.

[2] *Histoire d'Alsace*, tom. II (Preuves, p. LXXV-LXXVII).

[3] *Notitia fundationis et restaurationis monasterii Ascowiensis* (*Scriptores*, tomi XV pars secunda, p. 995-996. Ascowiense piarum fœminarum monasterium, vulgo Eschau, anno 777 a Remigio Argentinensi episcopo fundatum traditur et a Widerolfo successore, postquam a Hungaris dirutum esset, exeunte sæculo decimo, renovatum est.

[4] Monasterii S. Leonhardi prope Bœrsch in Alsatia inferiore siti fundatio. *Scriptores*, tom. XV pars secunda, p. 1000-1002.

[5] Notam fundationis cœnobii Sindelsberg prope Maurimonasterium (vulgo Marmoutier) siti vide apud *Scriptores*, eodem tomo, pag. 1002.

[6] *Scriptores*, eodem tomo, p. 1002-1005.

nomen inditum est) compilati sunt. Qui ab anno 814 ad annum 1288 brevissimis verbis res gestas usque ad annum 1218 ex Annalibus Argentinensibus excerptas enumerant[1]. Eorum textus in codice Vindobonensi sæculi sexti decimi chartaceo servatur[2]; quo vero tempore notationes illæ Maurimonasterii inceptæ sint valde incertum est.

Neque dubitari potest quin et in Alsatia superiore perplura monasteria illis jam sæculis annales conscripserint, quamvis eorum autographa desint et hac ex causa origines haud facile constitui possint. Inter quos nominandi Annales Monasterienses in valle S. Gregorii, primum a Dom. Martene, sed neque correcte nec sine lacunis in lucem editi[3]. Res gestas ab anno 528 ad annum 1194 duabus in partibus, meritis valde inter se differentibus proferunt. Quarum prior, annos 528-828 complectens, sæculo jam undecimo compilata esse et minimæ quidem utilitatis videtur[4]. Pars altera ab anno 1065 ad annum 1194 res gestas sub forma annalium continuat. Ambæ in Pertzii *Monumentis* recusæ sunt[5].

Et in monasterio Murbacensi circa annum 727 a S. Pirmino mediis in montibus Vosagi fundato, pristinis jam temporibus litterarum cultus floruisse videtur, et Caroli Magni coævos hoc in « Peregrinorum vivario » studiis incubuisse Alcuinus testatur. Annalium vero hujus monasterii pars minima servata est[6]. Noti-

[1] Ediderunt Fridericus Bœhmer in *Fontibus* (III, p. 8-10) et Heinricus Pertz in *Monumentis* (Script. XVII, p. 181-182).

[2] Inest codex bibliothecæ Curiali Vindobonensi, nº 9099.

[3] *Thesaurus anecdotorum novus*, tom. III, p. 1435, sub titulo Chronicon Mon steriense.

[4] Typis mandata est a Grandidierio, *Histoire de l'Église de Strasbourg*, tom. I, preuves, pag. XXI.

[5] *Scriptores*, tom. III, p. 152-155, omissis tamen imperatorum summorumque pontificum catalogis. Recentissime codex annalium in bibliotheca Andreæ Ræssii, Argentinensis nuper episcopi, pergamenus inventus et ad bibliothecam Seminarii episcopalis ibidem translatus est, quem vir doctissimus Guillelmus Wiegand, fusius in *Mittheilungen des Instituts für œsterreichische Geschichtsforschung*, 1889 (vol. X, p. 78 ss.), descripsit. In quo codice notitiæ de annis 1065-1194 desunt.

[6] Vide S. Heigel, *Ueber die aus den alten Murbacher Annalen abgeleiteten Quellen* in *Forschungen zur deutschen Geschichte*, tom. V, p. 397-403.

tiam fundationis et primorum abbatum seriem ad sæculum usque tertium decimum, ex antiquis cœnobii membranis, hodie sane quidem deperditis excerpserunt anno 1705, in ipsa abbatia, Benedictini Congregationis S. Mauri patres, quorum notamina in regii S. Germani a Pratis monasterii bibliotheca recondita a nobili barone de Zurlauben nostro Grandidierio communicata et ab eo edita sunt[1]. *Annalium* autem *Alamannicorum* (708-789) continuationem brevem, novem modo annos complectentem, et a Murbacensi quodam monacho conscriptam Pertzius in *Monumentis* in lucem produxit[2]. Aliud Murbacensium studiorum documentum exstat, *Vita S. Leodegarii* a Frulando clerico scripta seu « ex jussionibus Eberhardi abbatis renovata », quam Dom. J.-B. Pitra in appendice sui operis[3] ex codice bibliothecæ Argentinensis, nunc deleto, prelo mandavit[4]; in qua auctor Alsaticam terram et vallem Murbacensem ut paradisum « Baccheo sanguine abundantem » poetico fere sermone depingit.

Annalium Parisiensium, in monasterio Pairis mediis in montibus Alsatiæ superioris prope vicum S. Urbani (vulgo Orbey) sito, fragmentum ex quarto decimo solum sæculo brevissimum superest[5]. Hoc vero in cœnobio multo antea rerum historicarum auctores fuerunt : ineunte enim sæculo tertio decimo ibidem Guntherum scholasticum rhenanum invenimus, monasterii priorem, qui urbis Constantinopolitanæ expugnationem anni 1204 descripsit, unde Parisiensis abbas multas reliquias et partem Sanctæ Crucis retulit[6]. Sed de Gunthero *Solymarii* et *Ligurini* poeta

[1] Grandidier, *Histoire d'Alsace*, II, (preuves), p. LXXI-LXXIV.

[2] *Continuatio Murbacensis* (790-799) apud *Scriptores* (Hannoveræ, 1826), I, p. 47-48.

[3] Dom Pitra, *Histoire de Saint-Léger*, Paris, Waille, 1846, p. 525-568.

[4] Hac ex codicis subscriptione quo tempore Frulandus vixerit satis perspeximus, Eberhardum enim Murbacense monasterium circa annum 1041 rexisse novimus.

[5] Ab anno 1335 ad annum 1422, ab Augusto Bernoullio editum (*Neues Archiv*, tom. VIII, p. 616-621).

[6] Guntheri Alemanni scholastici, monachi et prioris Parisiensis de expugnatione Urbis Constantinopolitanæ, seu Historia Constantinopolitana, etc. edidit

notissimo, anno circiter 1210 in valle Sancti Urbani denato hic longius disserere non locus est, quum de rebus alsaticis non aliter scripserit.

Eidem sæculo tribuenda est notitia de miraculis S. Fidis virginis et de fundatione miraculosa monasterii S. Fidis in Selestadiensi civitate, a Friderico Alemanniæ duce, anno domini 1087, in qua res aliquot sub majoribus Staufiorum imperatorum in Alsatia gestæ indicantur. Quæ narratio primum e codice bibliothecæ Selestadiensis ab Augusto Dorlan in lucem edita[1], nuper et in *Monumentis*, anno licet paululum recentiori attributa, recusa est[2].

Chronicon denique Weissenburgense his notitiis et annalium fragmentis adnumerare possumus, per finem sæculi decimi et maximam partem sæculi undecimi deductum, quod brevissimis notulis res quasdam ad monasterium Weissenburgense, in extremas Alsatiæ septentrionalis partes situm, spectantes posteris servavit usque ad coronationem Conradi, Henrici quarti imperatoris filii (969-1087)[3]. Annales quoque hoc in monasterio diversis temporibus conscriptos fuisse satis ex fragmentis variis constat quæ in *Monumentis* et alibi recepta sunt[4].

comes Paulus Riant, Genevæ, Fick, 1875, 8°. Cfr. Wattenbach II, p. 256-260. Codex alter hujus operis in bibliotheca Colmariensi servatur. De quo vide Riant, p. XXI.

1 *Notices historiques sur l'Alsace et particulièrement sur la ville de Schlestadt*, par A. Dorlan. Colmar, Reiffinger, 1843, tom. I, p. 48-59, cum versione gallica.

2 De fundatione monasterii S. Fidis Sletstatensis, anno 1094-1095. *Scriptores*, tomi XV pars secunda (Hannoveræ, 1888), p. 996-1000.

3 Alex. Wurdtwein, Subsidia diplomatica ad selecta juris ecclesiastici Germaniæ et historiarum capita elucidanda, Francofurti et Lipsiæ, Gœbhardt, 1778, tom. XII, p. 134-139.

4 Annales Weissenburgenses, de anno 763 ad annum 846 edidit Pertzius (*Scriptores*, I, p. 111) ex codice Guelferbytano, ad quos Fridegarius Mone additamenta quædam ex calendariis et lituras in periodico suo *Zeitschrift für Geschichte des Oberrheins* (XIII, p. 492) contulit. Alios monasterii Annales ex Annalibus Hersfeldensibus maxima de parte decerptos, in *Monumentis* invenimus usque ad annum 984 (tom. III, p. 22-65), cum continuatione in loco scripta, ad annos 708-1075 (III, p. 70-72). Notas dedicationum Weissenburgensium ad annos 1072 et 1075 edidit Georgius Waitz in *Monumentis* (XIII, p. 46-47), quibus et seriem abbatum monasterii duplicem, primam usque ad annum 1262, secundam ad annum 1496 usque, statim adnumerare liceat (*Script.*, XIII, p. 319-321).

Quæ scripta hactenus enumeravimus non magni sane ponderis ad historiam Alsatiæ existimanda sunt, quum aut brevissime facta tradant aut res minimi momenti referant, aut fragmentarie modo ad nos pervenerint. Verum artis historicæ magis illustre documentum est *Chronicon Marbacense*, quod et nomine *Annalium Marbacensium* vel *Annalium Argentinensium*, nuperrime etiam *Annalium Novocastrensium* editoribus designare libuit. Quod opus ad regna Staufiæ stirpis imperatorum melius investiganda perutilissimum primus Urstisius ut *Fragmentum historicum auctoris incerti* ex excerptis Alberti Argentinensis partim in lucem produxit[1]. Nostris temporibus Fridericus Bœhmer primo in *Fontibus* (II, 96-111) sub nomine *Annalium Argentinensium* extractus quosdam ab anno 632 ad annum 1272 edidit, deinde *Annales Argentinenses pleniores* in sequenti *Fontium* volumine (III, 66-113) ab anno 631 ad annum 1100 excerptim, ab anno 1100 ad 1238 integros publicavit. Paulo post Robertus Wilmans narrationem perfectam ab anno 631 ad annum 1238, cum appendice usque ad annum 1375, ex codice bibliothecæ Universitatis Jenensis autographo sæculi tertii decimi in *Monumentis* sub nomine *Annalium Marbacensium* recudi fecit[2], quod ei in monasterio Marbacensi conscripti videbantur[3], quum Bœhmerus eos antea monacho cuidam cœnobii Cistercensium Novocastrensi prope Haganoam tribuerit. Paucos vero post annos vir doctissimus illa de sententia decessit annalesque denuo Argentinenses vocari voluit[4]. Quod et Carolo Hegel placuit quum annalium auctorem vel auctores in conventu Argentinensium Augustinorum ad Sanctam Trinitatem dicto, vixisse putaret[5]. Ad priorem Bœhmeri opinionen nuperrime revertit

[1] Germaniæ histor. illustres (Edit. 1585), tom. II, p. 74-93. Urstisii extractus annos 1131-1272 amplectuntur.

[2] *Scriptores*, tom. XVIII, p. 142-180. Vide etiam ejus dissertationem *Das Chronicon Marbacense sonst Annales Argentinenses genannt*, in Pertzii *Archivo* (tom. XI, p. 115-139).

[3] Monasterium Marbacense O. S. Augustini Eremitæ prope Colmariam civitatem situm erat.

[4] *Fontes*, tom. III, p. XXV.

[5] *Chroniken der deutschen Stædte*, hrsg. von C. Hegel, tom. VIII, p. 50-53.

Aloysius Schulte et in numero Neoburgi sive Novocastrensis monasterii incolarum annalium illos scriptores inveniri posse judicavit. Is, a vulgari etiam opinione dissentiens, qua Annales Argentinenses fundamentum narratorum Alsaticæ historiæ futurorum plerisque videntur, eos modo recentiorem compilationem ex scriptis jamjam deperditis esse putavit multisque nec non sagacissimis argumentis opinionem firmare conatus est[1]. Quibus si fidem adhibeas codex Jenensis qui sub *Marbacensium Annalium* nomine vulgo fertur, minima de parte ex brevibus illius monasterii annalibus formatus est, de maxima vero parte ex variis Novocastrensibus notitiis et præsertim a Chronico usque ad annum 1210 perducto, quod nescio an Petro cuidam Novocastrensi abbate tribuendum sit.

Quidquid autem posteri de horum annalium origine natalique eorum solo sentient, nobis adhuc sub judice lis esse videtur. Omnium vero consensu constat clericum alsaticum illum qui uberiorem annalium partem (1208-1238) conscripsit, imperatoris Friderici secundi æqualem fuisse et Staufiorum partibus constanter adhæsisse. Neque id in dubium vocandum est illi multo magis S. Imperii romano-germanici historiam universam quam provinciæ suæ fata curæ fuisse. Cui, etsi ejus narratio quibusdam anachronismis aliisque levibus mendis non omnino vacua est, ab hodiernis, ut narratori bene informato, laus non immerita persolvitur[2] et a multis recentiorum medii aevi temporum annalistis excerptus est[3].

§ 5. De Annalibus Colmariensibus.

Ut in ceteris regionibus christianis, ita in Alsatia nostra a mendicantium fratrum ordinibus novus impulsus historiarum studio

[1] Cfr. A. Schulte, *Elsæssische Annalistik in Staufischer Zeit* in periodico *Mittheilungen des Instituts für œsterreichische Geschichtsforschung* (1884), tom. V, p. 513-538. Novam igitur Annalium designationem in dissertationis finem proposuit, *Compilationem* nempe *Annalium Alsaticorum Novocastrensem.*

[2] Cfr. Wattenbach, *Geschichtsquellen*, II, p. 413.

[3] Vide G. Gradaur, *Die Jahrbücher von Marbach*, Leipzig, Duncker, 1881, p. VIII.

datus est, quippe qui non ut antecessores monastici ex hominum societate in montium et silvarum solitudines fugerent sed libenter in urbibus, prædicandi causa, monasteria construerent et magna terrarum spatia pedibus peragrantes Europæ et Asiæ regna sine intermissu perlustrarent. Hinc fiebat ut undique ad capitula ordinis provincialia et generalia res novæ per orbem terrarum gestæ ab itinerantibus adportarentur et ex illorum conventibus ad singula cœnobia a fratribus referrentur. Quibus ex causis S. Dominici discipulos qui initio quidem maxima cum assiduitate studiis incubuerunt, in historia scribenda nec ignavos nec ignaros exstitisse, facillime sibi quisque persuadebit.

Ex alsaticis quidem ordinis Prædicatorum monasteriis nonnullæ omni laude dignæ narrationes ad nos pervenerunt quibus Alsatiæ fata per sæculum præsertim tertium decimum felicissime illustrantur. Quarum uberrimæ ad Alsatiam superiorem pertinent et in civitatis Colmariensis cœnobio compilatæ sunt. Prædicatorum conventus hac in urbe, rectore Hermanno a Minda, qui provincialis fuit per Germaniam superiorem, anno 1278 a fratribus Basileensibus inauguratus est. Inter quos fuit vir quidam non imbecilli ingenii, geographicis præcipue studiis addictus[1], qui anno 1221 natus, septemdecim annos natus in ordinem intravit, per Galliæ Germaniæque fines migravit[2], et quum Colmariæ novum habitandi locum invenisset, notitiis historicis in claustro Basileæ, seu ab ipso seu ab antecessoribus collectis per longum vitæ spatium additamenta adjecit. *Annales Colmarienses* ab anno 1211 ad annum 1305 fere sæculum complectuntur, sed valde incertum num notationes ultimæ eidem auctori tribuendæ sint. Qui annales primum non sine omissionibus multis ab Urstisio ex codice Basileensi prelo mandati sunt[3], postea Fridericus Bœhmer ex codice Stuttgartensi novam annalium editionem, prætermissis tamen ex parte textus notitiis, in *Fontibus* instituit[4]. Paulo post a viris Col-

[1] Anno 1265 mappam mundi descripsit in pelles duodecim pergamenos.

[2] Anno 1261 Lutetiæ Parisiorum, anno 1268 in Urania, Helvetiorum pago fuit.

[3] Germaniæ histor. illustr. tom. II (Ed. Francofurt. 1585), p. 5-37.

[4] *Fontes*, tom. II, p. 1-44.

mariensibus eruditis, Carolo Gérard et Josepho Liblin Annales nondum truncati et Chronicon simul cum versione gallica in lucem edita sunt; sed eorum nec textus satis emendatus nec interpretatio ubique felix dici potest[1]. Optimam denique codicis Stuttgartensis recensionem vir doctissimus Philippus Jaffé in *Monumentis* constituit[2], ubi primus annalium partes diversas critico studio segregavit. Cujus auctoritatem secuti jam *Annales Colmarienses minores* in ultimis sæculi tertii decimi lustris, variis ab auctoribus usque ad annum 1298 compilatos et *Annales Basileenses* ab anno 1266 ad annum 1277 conscriptos, denique *Annales Colmarienses maiores* a fundatione monasterii Prædicatorum Colmariensis ad annum 1305 deductos esse arbitrabimur; sed nihil obstat quin Annalium Basileensium et Colmariensium maiorum auctor unus ac idem esse videatur.

Simplicitate simul et fidelitate narrationis anonymum nostrum auctorem coævis præstitisse, passim ex documentis archivorum cum ea collatis demonstrare possumus[3], et iam Bœhmerus recte monuit illi omnia quæ ad naturæ phænomena spectent, astrorum cursus et frugum indoles, summæ curæ esse[4]. In paucissimis historiarum fontibus hujus temporis tanta copia rerum commemoratione aut admiratione dignarum collecta est, sive de regni Hierosolymitani occasu, sive de primo Æthiope in Alsatia viso, sive de naso abbati S. Urbani a fratre converso ordinis abscisso, sive de mulieribus monstra parturientibus narratur. Est etiam in codice prædicto narratio quædam ab annalibus distincta, *De rebus Alsaticis ineunte sæculo decimo tertio*, quæ nescio an hac ex documentorum collectione Prædicatorum Colmariensium maximi pretii habenda sit, quia provinciæ nostræ mores habitumque per illa tempora perlucide depingit. Adjectæ sunt duæ notitiæ quibus Alsatiæ et

[1] *Les Annales et la Chronique des Dominicains de Colmar*, par Ch. Gérard et J. Liblin. Colmar, Decker, 1854, 1 vol. 8°.

[2] *Scriptores*, tom. XVII, p. 183-239.

[3] Cfr. *Annalen und Chronik von Colmar, übersetzt von H. Pabst.* Berlin, Duncker, 1867, 12°, p. XIII.

[4] *Fontes*, II, p. X.

« Theutoniæ » sive Germaniæ terræ descriptæ sunt. Quæ omnia facile *Annalium majorum* auctori tribuere licet, quum hic et illic idem studiosum rerum naturalium ingenium reperiamus.

Chronicon vero *Colmariense* eodem calamo exaratum fuisse nequaquam concedere possumus, quum non solum externa narrandi forma sed etiam ingenio ab annalibus omnino differat, etiamsi *Chronicon* eodem in Prædicatorum monasterio natum et a fratribus ejusdem ordinis descriptum sit. Nam et chronologica indicia jam desunt fere omnia et res ipsæ vel populari sermone conscriptæ vel quasi ex epico poemate partim desumptæ non profecto a monacho pacem amante sed a milite quodam ex Austriaco bello redeunte narratæ videntur. Initium operis factum est quum jam Rodolphus rex e vita decessisset bellumque inter Adolphum et Albertum reges coortum esset, idque a coævali quodam sine dubio conscriptum est. Quod vero vir doctissimus Ottocarius Lorenz de auctoris nomine dixit, quem fratrem Johannem de Columbaria fuisse putat, adhuc in dubio reliquendum existimo quum certis argumentis nec probari nec improbari possit[1]. Editum est Chronicon primum ab Urstisio, una cum Annalibus[2]; postea Bœhmerus in *Fontibus*[3], Jaffeius præsertim in *Monumentis* meliorem textum[4] secundum codicem Stuttgartensem constituerunt.

Chronicon Colmariense quasi subito ab anno 1303 interruptum est, quanquam dubitari non potest quin et insequenti sæculo apud cœnobitas litterarum studio addictos, nonnulli seu in Prædicatorum seu in alio civitatis Colmariensis claustro, annalium continuatores fuerint. Tamen nescio quo fato hæ continuationes omnes, si quidem exstiterunt, deperditæ sunt. Sed quum ex chronicis Colmariensibus latinis nullum aliud supersit, unum tamen vulgari sermone conscriptum et paulo recentius, hic commemorandum est. Quod, quamvis brevissimum, Julianus Sée ex codice olim Murbacensi, nunc Colmariensi, mediante sæculo quinto decimo

[1] O. Lorenz, *Deutsche Geschichtsquellen*, 3. Ausg. (1886) I, p. 20-24.

[2] Germaniæ histor. illustr., tom. II, p. 37-62.

[3] *Fontes* tom. II, p. 44-96.

[4] *Scriptores*, tom. XVII, p. 240-270.

litteris mandato, in lucem produxit; quo res sæculo quarto decimo gestæ circiter ad annum 1400 usque narrantur[1]. Ex alio quodam archivi Norimbergensis codice satis integro Augustus Bernoulli hoc antiquissimum chronicon Colmariense germanicum nuperrime ad annum 1426 usque restituit[2]. Incipit auctor anonymus ab initio mundi, sed ex arca Noæ raptim ad quasdam quarti sæculi legendas Sanctorum transit et ab illis jam ad facta tertii decimi sæculi, ex *Annalibus Colmariensibus* decerpta quum pervenisset, propriam narrationem, ut ipse declarat, rerum per centum superiores annos gestarum instituit, quæ anno 1403 quum molestiis senectutis premeretur, interrupta est.

Continuatores ab anno 1404 fuere varii, quorum unus in codice Norimbergensi antecessoris opus ad annum modo 1426 deduxit, alter vero, seu plures ad annum 1454 usque narrationem protulerunt. Quorum ex manuscripto seu manuscriptis Maternus Berler de quo infra dicendum erit, paulo latius multa excerpsit[3] et Conradus Scherer, civis Colmariensis, sæculo sexto decimo notitias desumpsit quarum fragmenta nonnulla, parvi licet pretii, Julius Rathgeber typis mandavit[4]. Chronicon ipsum Scherer S. Francisci sodalibus tribuendum censuit sed manifesto errore ductus est quum ex narratione perspicuum sit, Minoritarum antagonistas (Prædicatores dico) in ea laudari. Superiore jam sæculo vir Colmariensis eruditus, de rebus Alsatiæ historicis optime meritus, Sigismundus Billing, chronicon nostrum Petro Hermanno ab Andlo, scriptori notissimo attribuit, qui capituli S. Martini Colmariensis canonicus fuit. Sed et hoc falsum esse videtur quum ille adhuc anno 1477 vixerit[5] et chronici narratio, si continuatores amoveas, anno jam 1403 abrumpatur. A Colmariensi clerico quodam conscriptum esse

[1] In libro annuario ab Augusto Stœber edito, *Alsatia* (Mulhausen, Risler), 1874, p. 221.

[2] *Die ælteste deutsche Chronik von Colmar*, herausgegeben von August Bernoulli. Colmar, Jung, 1888, 8°.

[3] Cfr. *Code diplomatique de la ville de Strasbourg*, tom. II, p. 46-47.

[4] J. Rathgeber, *Aus einer untergegangenen elsæssischen Chronik* in *Forschungen zur deutschen Geschichte*, tom. XV, p. 460 ss.

[5] Cfr. Trouillat, *Monuments de l'évêché de Bâle*, tom. V, p 864.

indubie constat et auctorem anonymum S. Martini capituli canonicum fuisse Bernoullius non omnino negat. Quidquid de persona auctoris sentiendum est, chronici pars ultima cum continuatione ejus ad illustrandam Alsatiæ superioris historiam per quartum decimum sæculum eo utilior habenda quod Kœnigshovius et alii hujus temporis scriptores fata inferioris præsertim Alsatiæ descripserunt[1].

Sed a Colmariensibus monasteriis ne digrediamur priusquam libelli sororis Catharinæ de Gewerwiler, priorissæ monasterii Subtiliensis seu Unterlinden, brevissima mentio facta sit, in quo primarum illius celeberrimi cœnobii monacharum vita narratur pietasque mystico sermone laudatur[2]. Quæ Catharina per septuaginta fere annos hoc in monasterio sanctissime vixit ibidemque anno 1330 denata est. Cujus opusculum nostris jam temporibus, paraphrasi gallica, licet non satis accurata, vulgatum est[3].

§ 6. De Argentoratensibus Annalistis sæculi XIII et XIV.

Quo tempore Annales Argentinenses antiquissimi conscripti fuerint inter eruditos nondum constat nec sane quidem unquam constare poterit quoniam pristinæ eorum versiones paulo post a recentioribus annalistis retractatæ ad nos commutata facie pervenerunt. De hoc uno consentiunt plerique, hac in urbe in Prædicatorum fratrum quoque monasterio quærenda esse Argentinensis historiographiæ cunabula. Cujus vetustissimum specimen *Annales Argentinenses breves* esse creduntur quos Grandidierius olim ex membrana archivi episcopalis Tabernis Alsaticis in lucem pro-

[1] Bernoulli, *op. cit.*, p. XXIII.

[2] De perfecta conversione ferventique erga Deum devotione primarum sanctarum sororum monasterii sub Tilia, apud Pez, *Bibliotheca ascetica antiquo-nova*, Ratisbonæ, 1725, tom. VIII, p. 350-399.

[3] *Fleurs dominicaines ou les mystiques d'Unterlinden à Colmar*, par le vicomte de Bussierre. Paris, Poussielgue, 1864, 18°.

duxit[1] et in quibus res per annos 607-1207 gestæ brevissimis notulis recensentur. Annales in *Monumentis* a Philippo Jaffé recusi sunt, seu re vera sunt antiquissimi, seu annalium majorum reliquiæ modo habendi sunt[2].

Multo tamen antiquius exstat documentum studii Argentoratensi historiæ consecrati, *Catalogus episcoporum Argentinensium metricus* quem Erckenbaldus episcopus (965-987)[3] sub finem decimi sæculi perscripsit, et quem Johannes Georgius Kulpis[4] et Johannes Schilter[5] fere simultaneo labore ediderunt, unde, multis nævis purgatus, in *Monumentis* receptus est[6]. Sane quidem pius ille episcopus, a successoribus nimis laudatus, versificator fuit mediocris et historicus minimi adjumenti in elucidanda antecessorum serie quæ quum lacunis et erroribus obscurata, tum vel maxime controversiis innumeris implicata est[7]. Ex hexametris suis id unum percipi potest, quam inextricabili confusione illis jam temporibus Argentinensis Ecclesiæ traditiones laboraverint[8].

Non longo tamen temporis spatio ad solum clericorum usum aut a solis clericis compilati sunt annales Argentinenses. Secunda sæculi tertii decimi parte per decem annos jam inita, pervehe-

[1] *Histoire d'Alsace* II (preuves), p. LXIII-LXVIII. Codex paulo postquam eum transcripserit cum ipso palatio episcopi die 8. septembris anni 1779 combustus est.

[2] *Scriptores*, XVII, p. 86-90. Rectius fortasse *Nota Strasburgensis*, dedicationem ecclesiæ in Burgheim, de anno 1035 concernens, a Georgio Waitz edita (*Scriptores* XIII, p. 46), ut veterum Annalium Argentinensium fragmentum antiquissimum, citanda fuit.

[3] Alii vero Erckenbaldum anno 991 denatum esse volunt.

[4] Rerum germanicarum scriptores, Argentorati 1685, fol., p. 120.

[5] Schilter, *Kœnigshovens Strassburgische Chronik*, Strassb., 1698, 4° (p. 487-495), textum e Kœnigshovii chronico latino transcripsit in annotationibus.

[6] *Scriptores*, XIII, p. 321-324.

[7] De quibus vide præsertim Rettberg, *Kirchengeschichte Deutschlands* (Gœttingen, 1848), tom. I, p. 60-71, et Friedrich, *Kirchengeschichte Deutschlands* (Bamberg, 1867), I, p. 329 ss. Cfr. etiam appendicem Caroli Hegel in *Deutsche Stædtechroniken* (IX, p. 1051-1063); *Die Bischœfe von Strassburg*.

[8] Catalogi continuationes exstant in *Monumentis : Series episcoporum Argentinensium* tres, prima ad annum 992, secunda ad annum 1126, tertia ad annum 1273 (cum appendice usque ad annum 1299) deducta. Quibus et notulæ : *Consecrationes episcoporum quibus Erckenbaldus episcopus interfuit* adjectæ sunt.

mens exorta est controversia inter Gualterum de Geroldseck episcopum (1260-1263) et burgenses civitatis in qua sedem ille habebat. Qui pontificiis mandatis postea obedire recusantes libertatem summa cupiditate appetebant et diu negatam gladio denique vindicare statuerunt. In proelio apud colles Husbergenses, ipsi urbi proximos, die octava martii anno domini 1262 commisso, cives egregie dimicantes victoriam consecuti sunt simul cum facultate arbitrio suo vivendi. Hac summa rerum mutatione non solum Ecclesiæ regimen in urbe Argentoratensi politicum omnino abrogatum est, sed animos etiam incolarum civitatis, quæ mox imperialis et libera dicta est, quasi nova cognoscendi cupido corripuit : res quum a maioribus tum ab ipsis gestas posteris mandare cupiverunt.

Inter cives illos fuit vir optimus, Ellenhardus, ex ampla corporis statura Magnus dictus [1], qui in pugna Husbergensi militum cohorti præfuit et postea per longos annos procurator fabricæ cathedralis ecclesiæ fuit atque pauperes præbendarios hospitii ad Sanctum Spiritum administravit, donec die decima tertia maji anno 1304 e vita decessit. Is ad proprium et suorum usum per ultimum sæculi decennium codicem conscribi curavit in quo congesta sunt quæ de historia Argentinensi ei tum cognita fuerunt opuscula, aut quæ illis jam temporibus, consilio et auctoritate ejus, compilata sunt, *Annales* scilicet *Argentinenses*, de annis 1132-1297 [2], *Annales Hospitalis Argentinensis* de annis 1279-1389 [3], *Catalogus episcoporum Argentinensium* de anno 346 ad annum 1299 [4], et *Miracula S. Mariæ Argentinensis* anno 1280 acta. Inter quæ minoris pretii documenta duæ præsertim exstant narrationes in Ellenharti codice, utilissimæ ad historiam illorum temporum in Alsatia melius cognoscendam. Quarum unam sub titulo : *Relatio de conflictu in Husbergen*, falso tamen sub auctoris nomine, Ada-

[1] Nec, ut a Bœhmero (*Fontes*, II, p. XV) Ellenhart Gross vocandus.

[2] Editi sunt a Friderico Bœhmer (*Fontes*, III, p. 113-117) et a Philippo Jaffé (*Scriptores*, XVII, p. 101-104).

[3] Illos invenies apud Jaffeium (*Scriptores*, XVII, p. 104-105).

[4] Catalogum ediderunt Bœhmerus (III, p. 5-8) et Jaffeius (XVII, p 114-117).

mus Gualterus Strobel primus prelo subjecit[1]. Ad commemorationem illius eventus quo stabilita est Argentinensium patriciorum et burgensium libertas prœlium ipsum et quæ secuta sunt, luculentissime ac summa cum abundantia singularum rerum enarrat anonymus quidam auctor. Fortiter civium sequitur causam, nullo tamen odio permotus in devictum et jam pridem exstinctum episcopum. Quæ *Relatio* priscum et egregium nobis præbet exemplum novæ cujusdam rerum scribendarum rationis, quam per omnes majores civitates imperii romano-germanici permulti, impulsi amore soli natalis, secuti sunt neque jam latina clericorum lingua quam plebs ignorabat, sed vernaculo sermone quem omnes cives intelligebant, uti solebant. Sed narratio nostra, ut exemplum præbuit, ita mutatione illa quasi oppressa est et quum insequenti sæculo Fritschius Closener opusculum in teutonicum sermonem verteret, relatio princeps latina profunda mox oblivione obruta est.

De auctore quidem narrationis quæ ex illo tempore quo Philippus Jaffé eam in *Monumentis* edidit[2], sub titulo *Belli Waltheriani* plerumque citatur, eruditi semisæcularem jam litem agunt, quum alii Petrum quemdam Carmelitam Argentinensem denominent[3], alii Godofredo ab Ensmingen, Argentoratensi notario (de

[1] Godofredi ab Ensmingen relatio de conflictu in Husbergen... durch A. W. Strobel, Strassburg, Schuler, 1841, 8°. Non tamen e codice Ellenharti, tunc deperdito, sed e transcriptione Jacobi de Kœnigshoven, in chronico suo latino textum decerpsit, qui non omnino, ut Wiegandus demonstrat, cum originali textu congruit.

[2] *Scriptores*, XVII, p. 105-114 Antea jam relationem Ludovicus Schneegans (*Code diplomatique*, I, 2, p. 221-238) et Fridericus Bœhmer (*Fontes*, III, p. 120-136) recudi curaverunt.

[3] Petrum Carmelitam primus Gasparus Bruschius in *Epitome de omnibus Germaniæ episcopatibus* (Norimbergæ, 1549, p. 65) auctorem Belli Waltheriani prædicavit; nescimus quibus e fontibus nomen id hauserit quod et a Schœpflino in *Alsatia litterata* manuscripta (fol. 84) nominatum, interdum et nostris temporibus ad lucem revocatum est, nullo jam certo fundamento adhibito. Fortasse Petrus Carmelita re vera Chronicon quoddam exaravit, quum Xaverius Horrer, vir eruditissimus, expressis verbis affirmat bibliothecæ Argentinensi codicem inesse, qui *Petri Carmelitæ historia de bello Argentinensium cum episcopo* inscriptus sit (*Dictionnaire de l'Alsace*, Strasbourg, Levrault, 1787, 4°, tom. I. p. XII); hanc vero denominationem codicis a lectore Bruschii quodam appositam fuisse haud incredibile est et hoc uno argumento *Bellum Waltherianum* a Carmelita conscriptum fuisse nullo modo demonstratur.

quo infra) hoc opusculum quoque attribuant[1], alii denique Ellenhartum ipsum commemorationes temporum peractorum suas scribæ cuidam ad calamum dictavisse putent. Quæ vero supputationes, seu ab his seu ab illis qui hac de quæstione disseruerunt argumentis magni ponderis vicissim repudiatæ sunt omnes, ita ut viri doctissimi Guillelmi Wiegand conclusio, Belli Waltheriani auctorem nobis adhuc ignotum esse, semper vigeat[2].

Altera in codice nostro asservatur narratio universi imperii historicis perutilis in qua tamen etiam res in Alsatia gestæ diligenti calamo referuntur. Franciscus eam Martinus Pelzel primus, superiore jam sæculo, Pragæ in lucem edidit, quum codicem Ellenharti ipsum (habent sua fata libelli!) in arce quadam comitum de Kolowrat lithuanensi fortuito reperisset[3]. Postea documentum id pretiosissimum Domino Martino Gerberto monasterii San-Blasiani in Silva Nigra doctissimo abbati, nescio quo iure, vendidit; quod illic servatum Grandidierius anno 1784 inspexit et partim futurorum studiorum causa descripsit[4], tum et notitiam de opusculis variis codici insertis summariam viro amico Johanni Jeremiæ Oberlino transmisit[5]. Sæculo superiore jam exeunte, quum bellis frequentissimis ea regio turbaretur, diffugerunt religiosi San-Blasiani et iis anno 1806 ab imperatore Francisco II cœnobium S. Pauli in Carinthia provincia donatum est, ubi codex noster

[1] Godofredi ab Ensmingen nomen A. G. Strobelius eruditorum judicio proposuit, quod facilius excusari potest quum aliæ codicis Ellenharti partes ab eodem re vera conscriptæ aut modo retractatæ sint. Sed post Eduardi Tempeltey (*De Godofredo ab Ensmingen eiusque quæ feruntur operibus historicis*, Lipsiæ, 1860, 8°) et Guillelmi Wiegandii (*Bellum Waltherianum*, Strassburg, 1878, 8°) disquisitiones hac ab opinione plane discedendum est.

[2] *Bellum Waltherianum*, p. 34.

[3] Magni Ellenharti Chronicon quo res gestæ Rudolphi Habsburgici et Alberti Austriaci egregie illustrantur, ex codice membraneo coævo nunc primum edidit F. M. Pelzel, Pragæ, 1777, 8°.

[4] Transcriptionem illam Josephus Liblin, manuscriptorum a Grandidierio relictorum indefessus editor, separatim prelo mandavit: *Chronique de Godefroi d'Ensmingen, notaire épiscopal à Strasbourg*, tirée des Chronicalia de Grandidier. Strasbourg, Simon, 1868, 8°.

[5] Oberlinus notitiam annuario suo, *Almanach d'Alsace*, 1785 (Strasbourg, Lorenz et Schouler), p. 298-302, inseruit.

perpetuam, si fato placebit, requiem inveniet. Cuius in tabulario nostris temporibus repertus est a Philippo Jaffé, et ut jam de aliis hic congestis opusculis relatum est, etiam Godofredi ab Ensmingen Chronicon summo studio ab eo in lucem editum est[1]. Antea jam Bœhmerus Pelzelii textum in *Fontibus* recudi fecerat[2].

Quum de ipsa narratione constet ab exitu Richardi regis (1273) usque ad mortem Rodolphi (1290) Chronicon compilatum fuisse ex Ellenharti mandato « per Gotfridum notarium curie Argentinensis de Ensmingen », nulla mihi causa esse videtur cur Godofredo huic chronicon vel chronici maximam partem abjudicare velim, quanquam viris quibusdam eruditis ita placuit[3]. De vita tamen auctoris nil habeo quod dicam, quum tantummodo constet notarium episcopalem Argentorati eum fuisse et anno 1294 hac in urbe etiamtum vixisse, nec verisimile est, nova de eo documenta inveniri posse, quum Ludovico Schneegans qui per longos annos archivo civitatis præfuit et summo studio omnia ad edendum *Codicem diplomaticum* perlustravit, non licuerit de Godofredo nostro quidquam in lucem proferre. Auctoris seu compilatoris ultima mentio pertinet ad annum 1291, reliqua vero chronici capita annis fere decem postea addita sunt, quum Albertus rex, Austriacus, Adolphum regem, Nassoviensem jam devicisset. Et in appendicis fine expressis dicitur verbis, Ellenhartum ea quoque capitula « scribi procurasse » sed Godofredi notarii nomen abest et quum in cæteris codicis opusculis supra enumeratis ubique sui mentionem diligenter inseruerit, illa capita ab alio Ellenharti ministro manuscripto addita fuisse affirmari potest.

Non solum in hoc appendice de anno 1299 sed etiam in priore chronici parte devotum in Habsburgenses animum auctoris aut, si mavis, auctorum ex eorum dicendi genere et ex ipso narrationis cursu dignoscere possumus, nam et Rodolphi regis acta et dicta

[1] *Scriptores*, XVII, p. 118-141, ubi variæ Chronici partes accuratissime delimitantur.

[2] *Fontes*, III, p. 111-147, sub titulo *Gesta Rudolfi et Alberti regum Romanorum*.

[3] Potthast, *Bibliotheca historica medii ævi*, p. 276.

prædicantur et laudantur et Adolphi Nassoviensis, ubi fas est, semper fit brevissima mentio, Argentoratenses enim gratis animis auxilii memores quod iis landgravius Alsatiæ, antequam rex creatus esset, varia per discrimina præbuerat[1], ex Habsburgensium partibus strenue stabant. Et in expositione bellorum Rodolphi contra Ottocarum summa studia contra Bohemorum regem accensa facile perspiciuntur. Sed nihilominus Godofredi Chronicon recte jam a Bœhmero optimis fontibus ad Rodolphi I historiam spectantibus adnumeratum est et inter veteres Argentinenses Annales latine scriptos, nescio an dignum sit quod primum locum teneat.

§ 7. **De Friderico Closener.**

Sæculo fere toto jam elapso ex quo tempore Gualterus episcopus ab Argentinensibus apud Husbergen fugatus est, tum quum civitas libera multis imperatorum et regum privilegiis dotata plurimum auctoritatis in pagis Alsatiæ et ultra habebat, burgensium princeps, seu prætor, nomine Johannes Twinger[2], presbyterum quemdam concivem hortatus est ut scriberet translationem *Belli Waltheriani* de quo supra diximus, ut etiam laïci majorum gesta noscere gratoque animo commemorare possent. Sic antiquissimum Argentoratense chronicon vulgari sermone conscriptum exortum est, cujus auctor Fridericus seu Fritsche Closener est, Sifridi Closener et Gretæ Spirrer filius, ortus patricia gente, quæ longa jam per tempora inter *Husgenossen* seu ministeriales episcopi inscripta fuit, ad quos jus monetandi in urbe pertinebat. Quo anno natus sit parum constat sed natalis ejus dies sub finem primi decennii XIV sæculi ponendus esse videtur[3]. Fuit altaris Beatæ Virginis in Ecclesia cathedrali beneficiatus ab anno 1349 et paulo post (fortasse jam

[1] Cfr. G. Winter, *Strassburgs Theilnahme an dem Kampf zwischen Adolf von Nassau und Albrecht von Oestreich* (*Forschungen*, XIX, p. 521 ss.)

[2] Johannes Twinger *Stettmeister* seu prætor urbis fuit annis 1357, 1363, 1369.

[3] Schœpflinus in notitia manuscripta ad *Alsatiam litteratam*, a Ludovico Schneegans servata, Closnerum « claruisse circa 1331 » dicit, quod vix credibile mihi videtur quum ejus opera amplius triginta annis postea conscripta fuerint.

anno 1350) Chori majoris præbendarius. Inter annos 1358-1361 nomine Capituli litem adversus rectorem S. Martini Argentinensis ecclesiæ egit, qua re illo jam tempore a superioribus et collegis valde æstimatus fuisse demonstratur. Proximis annis *Directorium Chori*, in quo libro legis et consuetudines chori majoris Argentinensis expositæ sunt, auspiciis episcopi Johannis e dynastis Lichtenbergensibus, summa diligentia in corpus unum redegit, quod ab episcopo, decano totoque collegio approbatum est. Codex ille, propria manu Closneri descriptus quem Schœpflinus in archivo Capituli majoris videbat, in magnis sæculi superioris exeuntis perturbationibus a capitularibus clam ex urbe deportatus et nuperrime in monasterio Melcensi, O. S. Benedicti, austriaco, casu quodam repertus est [1].

Scripsit et *Vocabularium* ineditum, quod « subtiliter compilatum » a laudatore Jacobo de Kœnigshoven ad proprium vocabularium locupletandum extractum et « extorsum » est, sed utrumque bibliothecarum Argentinensium incendio combustum est. Tertium auctoris opusculum, Chronicon Argentinense (*Strassburgische Chronik*) solum superest, cui finem imposuit octava die mensis julii 1362, qua die Argentoratum terræ motu horrifico conquassatum est. Paulo ante, tertia decima die junii mensis, translationem *Belli Waltheriani* ad conclusionem perduxerat [2].

Quantum temporis postea Closnerus vixerit nequaquam constat, quum alii eum anno 1384 etiam vixisse putent et vicesima sexta die mensis octobris ejus anni aut anni alicujus sequentis e vita discessisse dicant [3], alii vero auctorem nostrum multo antea emortuum esse contendant [4]. Quod ad chronicon pertinet, incertum est utrum

[1] Cfr. W. Wiegand, *Zwei wiedergefundene Handschriften des Strassburger Domkapitels* in periodico *Zeitschrift für Geschichte des Oberrheins, neue Folge*, 1887, II, p. 99.

[2] Closener, ed. Hegel, p. 151 et 89.

[3] Grandidier, *Essais historiques et topographiques sur l'Église cathédrale de Strasbourg*, Str., 1782, p. 56. *Code diplomatique*, I, 1, p. 11. Ludovicus Schneegans ibi *29* octobris pro *26* peccato typographico scripsit.

[4] Aloys Schulte, *Closener und Kœnigshoven, Beitræge zur Geschichte ihres Lebens*, in periodico *Strassburger Studien*, edito ab Ernesto Martin et Guillelmo Wiegand, 1882, I, p. 277-299.

ex translatione *Belli Waltheriani* presbyter ille Argentinensis initium historicorum studiorum fecerit an chronico antea jam incepto *Belli* translationem adjunxerit. Quarum opinionum prior nobis justior esse videtur, quum verisimile non sit Johannen Twingerum ab eo hanc versionem postulaturum fuisse nisi antea historicis studiis se tradidisset. Hoc unum profecto, intra breve spatium unius mensis Closnerum opusculum totum conscripsisse, ut nonnulli volunt, temporum supra indicatorum causa, negandum est. Et si forte Aloysius Schulte errat quum narrationis initia jam ad annum 1350 aut 1351 usque retroducenda putet, tamen recte sentit, chronicon pluribus annis ante annum 1362 initum narrandique materiam non brevissimo temporis momento congeri potuisse[1].

Chronicon ipsum non historiæ patriæ solius cognoscendæ causa presbyterum Argentinensem descripsisse, ex lustratione capitulorum summaria nemo est quin facile perspiciat. Primo enim seriem summorum pontificum a Jesu Christo, « primo et supremo papa » ad Clementem V (1305) breviter tractat, tum in secundo planius imperatorum seriem enumerat a Julio Cæsare ad Carolum IV (1347)[2]. Ad id loci magnam Martini Poloni seu Oppaviensis compilationem præsertim excerpsit[3], illa vero deficiente, chronicam saxonicam Eipkii de Repgow, Germaniæ inferioris dialecto conscriptam, latina seu allemanica versione sibi notam, secutus est[4]. A medio sæculo decimo tertio Ellenharti codex, quem sine dubio ante oculos habuit quum propriam narrationem compilaret, ei ductor præcipuus in rebus patriis enarrandis fuit. Deinde catalogum episcoporum Argentinensium insequitur, etiam ab Ellenharto mutuatum usque ad Johannem Lichtenbergensem comitem (1358). Media in historia ultimorum episcoporum *Belli Waltheriani* translatio interposita est, cui farrago variarum rerum seu ex Annalibus

[1] Schulte, *op. citat.*, p. 282.

[2] Illic exstat, quum de Carolo Magno mentionem facit, dictum a posteris sæpe vituperatum : « *Daz rich kam an die Franzosen.* » (ed. Hegel, p. 33.)

[3] De Martino Polono, archiepiscopo Gnesensi designato († 1279) vide Wattenbach, II, 426 et Potthast, p. 228.

[4] De Eipkio a Repgowe et eius *Sassenkroneke*, circa 1315 conscripta, vide Potthast, p. 228 et Wattenbach, II, p. 415.

Argentinensibus, seu ex propria commemoratione congestarum adjecta est, de bellis Argentoratensium cum vicinis, de incendiis ac pestibus, de Judæorum persecutionibus ac flagellantium peregrinatione, de fundatione monasteriorum, de terræ motibus, etc. Quum jam ad finem pervenisset subito ad imperatorum historiam ab anno 1198 ad annum 1273 revertit novaque ex Eikio a Repgow excerpta adhibet, quasi priorem jam narrationem non satis locupletem duceret, benevolo lectori optionem faciens eligendi utram mallet[1]. Neque tamen in ullo chronici loco, excepto *Bello Waltheriano*, de fontibus suis mentionem facit, et furis instar ingenui, antecessores exspoliavit, sicut ipsius narratio paulo post a continuatoribus non minus candidis ad verbum transcribetur[2].

Quum res gestas ita per capitula dividendas et suo quamque loco inserendas censeret, Fridericus Closener etiam formæ externæ vel narrandi rationi omnibus Argentinensium chronicis posterioribus firmum posuit fundamentum et ab hoc tempore usque ad sæculi septimi decimi exitum omnes urbis annalistæ rubricis ejus tam constanter usi sunt ut apud fere omnes, eodem ordine, historiam paparum, historiam imperatorum, historiam episcoporum, historiam denique civitatis liberæ invenias.

Et iis quæ diximus satis apparet Closnerum maximam chronici partem ex fontibus etiamtum servatis hausisse; idcirco raro testis rerum ab eo narratarum adduci potest, nisi in capitulis in quibus quæ suo jam tempore Argentorati evenerint, relata sunt. His vero paragraphis testis exstat magnæ auctoritatis quum internas urbis perturbationes, horrificam Judæorum trucidationem, nec non flagellantium migrationes vividissimis coloribus et sincero tamen veritatis studio denarret. Indicia fervidi amoris erga civitatem patriam, erga Sanctum Imperium romanum apud auctorem nostrum multa, erga Habsburgenses vero jam nulla reperiuntur, penitus mutatis ingeniis Argentinensium qui tum non

[1] « *Do lese ein man wels er welle.* » (Ed. Hegel, I, p. 151.)

[2] Recte quidem Carolus Hegel monet (I, p. 10) hæc litteraria furta non nostrum secundum judicium judicanda esse quum absque omni malitia et omnium consensu tunc temporis fierent.

Friderici Austriaci sed Ludovici Bavarici partes sequebantur. Mira quidem nobis obscurus ille presbyter loquendi libertate esse videtur qui summos pontifices cum imperatorum potestate et in rebus temporalibus decertantes acerbis verbis vituperet [1].

Closneri chronica, auctore seu etiamtum vivo, seu jam mortuo, in archivo fabricæ cathedralis Argentinensis deposita est sed mox « ita evanuit, vix ut jam appareret, quamvis olim plurium in manibus fuerit, tecta Kœnigshovio, cui digna visa quam apparatui suo inter alia scripta historiam alsaticam, speciatim vero Argentoratensem spectantia, sparsim tamen et diversis sub rubricis insereret [2]. »

Exeunte sæculo sexto decimo Closnerus adhuc Urstisio notus erat, quippe qui in chronico suo eum alleget [3]. Sed Schilteri jam temporibus archivo fabricæ jampridem defuit, et chronica illa « *uff dem frawenhauss* » de qua sæpe Chronicon alsaticum Kœnigshovii loquitur, non Closneri est, quam et Grandidierius perditam aut in bibliotheca aliqua sepultam declaravit [4]. Ubi vero longa per sæcula latuerit nemo est qui dicere possit antequam circiter anno 1820, Lintziæ, in Austriæ superioris urbe, ad Danubium sita aliquantisper reperta fuisset. Quem iterum occultatum codicem Bibliothecæ regiæ Parisiensis administrator, Van Praet, ab anonymo quodam, anno 1837, comparavit et inter alia *κειμήλια* ibidem ad hoc temporis momentum servatur [5]. Non dubitandum est quin eum codicem auctoris autographum nitido

[1] In memoriam revocandum est, Closnerum, etsi presbyter esset, tamen suas præbendas omnes non ab Ecclesia accepisse sed a civibus, fabricæ Beatæ Virginis gubernatoribus, obtinuisse, ut A. Schulte recte monet (*op. cit.*, p. 279).

[2] Schœpflini hæc verba sunt quæ Ludovicus Schneegans ex manuscripto *Alsatiæ litteratæ* nunc deleto olim excerpserat (I, fol. 35ab) et inter ejus reliquias in bibliotheca Civitatis Argentinensis nova servata sunt.

[3] Basileæ, 1580, fol. p. 139 et 144. — Gothofredus Rammingius Basileensis, Urstisio et Guillimanno amicissimus, Closneri chronicon inter manuscripta sua habebat et excerpta ex eo Urstitio mandavit, ut D. Bruckerus, Basileensis professor et schedarum Urstisii hæres, ipsi Schœpflino scripsit. (Lud. Schneegans, Excerpta ex *Alsatia litterata.*)

[4] *Essais sur la cathédrale*, p. 56.

[5] Manuscrits allemands, nº 91.

calamo pergamenis foliis inscriptum habeamus. Quem ab Adamo Gualtero Strobel Parisiis transcriptum Augustus Schott Stuttgartiæ primus prelo mandavit[1], deinde Strobelius ipse cum Ludovico Schneegans in *Codice diplomatico Argentinensi* monstruose divaricatum textum publicavit[2]. Ultimus chronici editor Carolus Hegel accuratam textus collationem instituit antequam simplicem et fidelem prebendarii nostri narrationem commentariis diligenter locupletatam in lucem ederet[3].

§ 8. De Alberto Argentinensi seu Matthia Neoburgensi.

Eodem fere tempore quo presbyter Ecclesiæ cathedralis Argentinensis ad usum laïcorum chronicon vulgari sermone describebat, aliud in eadem civitate opus concipiebatur cujus auctor historiam sui sæculi quasi universam in lucem dare constituit : de quo, ad hoc momentum temporis, acriter optimi inter se contendunt judices. Quot et quantæ difficultates in veritate investiganda interdum superandæ sint eruditis, memorabiliore et, ut ita dicam, jucundiore exemplo demonstrari non potest quam in elucidandis scriptis auctoris illius, modo anonymi, modo duplici nomine ornati quem huic paragrapho prudenter utraque sub forma inscriptum esse voluimus. Qui profecto seu Albertus Argentinensis, seu Mathias Neoburgensis, seu jam Albertus a Hohenberg denominatur, omnium tamen consensu optimis hujus aevi historicis adnumerandus est.

Primum ad lucem provectus est auctor noster a Joanne Cuspiniano (vulgo Spiesshammer) in appendice operis sui postumo *De*

[1] *Strassburgische Chronik von Fritsche Closener*. Stuttgart, Litterarischer Verein, 1842, 1 vol. 8°.

[2] *Code historique et diplomatique de la ville de Strasbourg*. Strasbourg, Silbermann, t. I (1843), p. 1-158. Closneri fragmenta Kœnigshovii textui passim intermixta sunt quasi editores eruditionis certe non contemnendæ medii ævi annalistas in compilatione sua imitari studuerint.

[3] *Chroniken der deutschen Stædte*. Leipzig, Hirzel, 1870, tom. VIII, p. 15-151.

consulibus romanis [1], e codice mutilo qui ex illo tempore nusquam repertus est, ibique magistro cuidam Alberto Argentinensi tribuitur. Paulo post Urstisius novam operis et integram editionem, tam e primo codice quam ex altero, in monasterio Ebersheimensi asservato, historiarum seriem ab Rodolpho I rege ad Caroli IV obitum continentem evulgavit, eodem auctoris nomine affixo [2]. Quis Albertus ille fuerit Argentinensis Schœpflinus in *Alsatia illustrata* primus explanavit quippe quem summus ille rerum Alsaticarum historiographus cum comite Alberto a Hohenberg, Ludovici Bavarici imperatoris cancellario identificaverit [3]. Cujus sententiam jam alii secuti erant [4], quum vir illustrissimus postquam a Sinnero Bernensi accepit Bernæ alium esse chronici codicem, cui nomen Mathiæ cujusdam de Newenburg inscriptum esset, sententiam mutavit [5]. Ita factum est ut diu Alberti nomen occultatum est donec recentiores, textu nostro denuo in lucem prolato, Georgius Studer Helvetius [6], et Alphonsus Huber, Oenipontiana in academia professor [7], editionibus suis Mathiæ vocabulum præposuerunt.

De duobus ita oppositis viris, ut pauca jam dicam, Albertus, Suevus, ex antiqua stirpe comitum de Hohenberg-Haigerloch ortus, nepos fuit Alberti comitis, qui reginæ Annæ, Rodolphi I uxoris, frater erat. Natus est circiter anno millesimo tricesimo, canonicus Constantiensis et Argentinensis, Ludovici Bavarici administrator per Alsatiam (1338) et paulo post cancellarius (1340). Anno 1349 sedem episcopalem Freisingensem a summo pontifice

[1] Basileæ, 1553, folio, p. 667 ss.

[2] Illustrium Germaniæ scriptorum tomus alter, Francofurti, 1585, fol. p. 97-154.

[3] Alsatia illustrata, II, p. 564.

[4] Sigismundus Billing, Colmariensis in opere suo *Geschichte und Beschreibung des Elsass*, 1782, in-18, p. 311.

[5] Schœpflini *Historia Zaringo-Badensis*, II, p. 17.

[6] Turici, 1867, ex Bernensi codice cum Argentinensi codice collato quem antea jam Engelhardtius in Pertzii *Archivo* (VI, p. 425) descripserat et qui anno 1870 flammis combustus est.

[7] In quarto volumine *Fontium* Bœhmeri, Stuttgartiæ, 1868, p. 149-276.

impetravit et diœcesis illius rector annis decem post obiit (1359). Mathias vero Neoburgensis, patricia gente in oppido Neoburgi Brisgoviensi ultimis tertii decimi sæculi annis natus, per annos 1315 et 1316, ut ex actis Nationis Germanicæ apparet, Bononiensium Universitati adscriptus est, ubi et decretorum magisterium consecutus est. Curiæ Basileensis advocatum eum invenimus anno 1327; Basileæ virginem ex patricia gente Monachorum (Muench) in matrimonium duxit et paulo post cum Bertholdo a Buchegg, novo Argentinensium episcopo, qui ad hoc temporis Basileæ incolebat, Argentoratum migravit, ubi per longos annos episcopi a consiliis intimis fuisse videtur, quum ab eo cum aliis legatis, annis 1335 et 1338, ad curiam Avenionensem missus sit ut cum Benedicto XII papa de rebus ipsius episcopi et nepotis ejus, Basileensis electi, ageret. Simul et curiæ episcopalis Argentinæ actuarius fuit et anno 1345 in numerum civium civitatis liberæ adscriptus est. Anno 1356, fortasse et anno 1359 eum adhuc inter vivos fuisse e documento quodam conspicuum est, sed quo anno obierit nescimus [1].

Unus Augustus Potthast in *Bibliotheca historica medii ævi*, illis tunc temporibus Alberti Argentinensis nomen et operam non omnino ignoraverat, qui quum Mathiæ Neoburgensi maximam chronici partem tribuisset, Albertum tamen continuatorem operis ab anno 1353 ad annum 1378 nominavit, sed Albertum quemdam a comite de Hohenberg et Habsburgensium cognato valde diversum [2]. Sed paulo post, subita rerum mutatione, Mathiæ Neoburgensi laus operis perfecti omnino abrogata est quum Rodolphus Meyer, Basileensis [3], cujus vestigia mox Rodolphus Hanncke

[1] *Urkundenbuch der Stadt Strassburg*, tom. V, p. 337, 403, 404. Cfr. Aloysium Schulte, in *Zeitschrift f. oberrh. Gesch.*, 1896, p. 318. E sententia anni 1370 qua filius Heintzmann a Nuwenburg ex urbe pulsus est, percipimus patrem tunc emortuum fuisse, quia « benedictæ memoriæ » dicitur.

[2] *Bibliotheca historica*, p. 109 et 439. Quæ de Mathia quem falso canonicum Lauterbacensem vocat, et de Alberto habet, sane quidem ex Grandidierio (*Essais sur la cathédrale, liste des auteurs*) desumpsit ubi Albertus ille canonicus Neovillarensis habetur.

[3] *Beitræge zur vaterlændischen Geschichte*, Basel, tom. IV, p. 159.

secutus est[1], monachum Albertum quemdam Basileensem S. Augustini ordinis, ex gente *de Argentina*, hac in urbe sæculo XIII florente, ut auctorem designavisset.

Id primum eruditis non placuit et Carolus Hegel, vir doctissimus, anno 1870 etiamtum declaravit non dubitandum esse quin Mathias Neoburgensis re vera chronici auctor esset[2]. Sed paucis annis post Guillelmus Soltau, Tabernis Alsaticis gymnasii professor, auctori prædicto paternitatem operis omnino denegare conatus est et quia tunc e codice Bernensi unice nomen ejus notum erat, illum a Mathia scriptum modo et compilatum esse putavit qui anonymi scriptoris chronico, usque ad annum 1350 perducto, quædam additamenta fecisset et ex *Vita Bertholdi episcopi* ab ipso conscripta quædam capitula alterius cujusdam narrationi intercalasset[3]. Quis vero ille fuerit anonymus in viri eruditi dissertatione nondum declaratur. Tertio jam auctori et ab omnibus ignoto chronicon attributum est a Theodoro Wichert, qui Mathiam quoque nihil nisi compilatorem, Johannem autem de Moguntia, notarium Spirensem, auctorem esse contendit[4], cujus historica scripta exstant nonnulla et quem actuario curiæ Argentinensis amicissimum fuisse nec non assiduo litterarum commercio conjunctum declaravit.

Quæ etsi multis et variis argumentis confirmabantur, paucis tamen placuerunt, et quum ab Alphonso Huber statim gravissimis argumentis confutata[5] tum a Guillelmo Soltau in nova de hac re disquisitione breviter repudiata sunt[6]. Is tamen ad comitem Albertum de Hohenberg regressus, quum varias conjecturas de auctore nostro antea edictas ex ordine confutasset, Argentinensem

[1] De Mag. Alberti Argentinensis chronico dissertatio historica. Regiomonti, 1866, 8°.

[2] *Forschungen zur deutschen Geschichte*, tom. X, p. 235.

[3] *Der Verfasser der Chronik des Mathias von Neuburg*, Zabern, Gilliot, 1877, 4°.

[4] *Jakob von Mainz der zeitgenœssische Historiograph und das Geschichtswerk des Mathias von Neuburg*. Kœnigsberg, Hartung, 1881, X, 368 p. 8°.

[5] *Mathias von Neuburg und Jakob von Mainz* in periodico *Archiv für œstreichische Geschichte*, Wien, 1882, vol. 63.

[6] *Jakob von Mainz, Mathias von Neuburg oder Albertus Argentinensis*, in periodico *Strassburger Studien*, 1883, tom. I, p. 301-373.

illum non fuisse demonstrare conatus est, præsertim quum de rebus hac in urbe gestis minime locutus sit, his exceptis quæ ex *Vita Bertholdi* transcriptæ sunt. Alberto vero Rodolphi regis nepoti de stirpe Hohenbergensi chronicon tribuit in quo, a temporibus Rodolphi initio facto, res a sequentibus imperatoribus et regibus gestas enarraverit. Quod chronicon Mathias Neoburgensis, jam ab anno 1340 canonici Ecclesiæ Argentinensis familiaris, partim commutata narratione, partim etiam plane transcripserit et ad præsentem statum opus hunc ad usum translatum redegerit. Soltavius igitur sentit Alberti comitis a Hohenberg *Memorabilia* fuisse chronici nostri quasi fundamenta et illum si non auctorem at parentem illius spiritualem dici posse.

Quem contra statim Alphonsus Huber impiger Mathiæ defensor exorsus, adversarii argumenta refellit et ullam causam adesse negavit cur Neoburgensis auctor chronici esse non videretur[1]. Tum vero, his duobus litigantibus tertius prodit, Carolus Wenck, utrique adversario bellum ingerens, magis tamen ad Soltavii partes inclinatus. Is censuit Albertum a Hohenberg, quum jam episcopatu Freisingensi fungeretur, anno fere 1350, chronicon composuisse, et quum paulo post Carolus imperator cum Freisingensi electo Bertholdum Argentinensem episcopum visitaret, scribæ illius episcopi familiari, Mathiæ scilicet Neoburgensi, chronici exemplar dedicavisse. Ex quo Mathiam capitula quædam *Vitæ Bertholdi* ab ipso conscriptæ inseruisse, sed optimo iure *Alberti Hohenbergensis Chronicon* vocandum neque ullo modo historicis Alsatiæ scriptis adnumerandum esse[2].

Recentissimis vero temporibus eruditorum controversia denuo retroversum deducta, Ludovicus Weiland qui primum Vindobonensem chronici codicem[3], deinde et Vaticanum ejusdem manu-

[1] *Mathias von Neuenburg oder Albrecht von Strassburg?* in periodico *Mittheilungen des Instituts für œstreichische Geschichte* (1882), tom. IV, p. 200.

[2] *Albrecht von Hohenburg und Mathias von Neuenburg*, in periodico *Neues Archiv* (1884, tom. IX, p. 29.

[3] *Abhandlungen der Gœttinger K. Gesellschaft der Wissenschaften*, 1891, tom. XXXVII : *Die Wiener Handschrift des Mathias von Neuenburg*, etc.

scriptum in lucem protulit[1], declarat Mathiam hoc Alberti comitis chronicon multis locis mutavisse, et propriis augmentis locupletavisse putat. Aloysius Schulte nuperrime circulum, — haud scio an vitiosus appellandus sit, quum doctissimi viri gravissimis verbis sese invicem indefessi confutent, — clausit quum affirmaret Albertum a Hohenberg narrationem nostram nullo modo ipsum conscripsisse, sed, si multa ei concedenda essent, Mathiam illum ad hoc monumentum gloriæ gentis suæ erigendum excitavisse, forsitan etiam documentis notulisque ita adjuvisse, ut in recensione quadam chronici sui stirpis Hohenbergensis acta et fata majoribus laudibus commemorare posset[2].

Ultimus adhuc Ludovicus Weiland in præfatione translationis chronici per Georgium Grandaur nuperrime datæ[3] hanc quæstionem attigit et in dubio reliquit num Albertus de Hohenberg unquam historiam ipse scripsisset, sed verisimile esse putavit eum aliquid contulisse ut Mathias chronicon conscriberet[4]. Quod si argumenta omnia non minus arguta quam opposita a tot eruditis congesta singula perlustraveris, id quod hic in spatio brevissimo nobis non licuit, non sane mirum esse videatur nos, etsi Mathiam Neoburgensem non compilatorem et interpretem alieni tantum operis sed auctorem chronici nostri verum esse putemus, tamen non omnino infitiari quin comes Albertus a Hohenberg auctoritate sua perfecerit ut Mathias Neoburgensis historiam suam conscriberet.

Sed quanquam difficillimum est dicere quo et quanto modo

[1] In eodem periodico, 1892, tom. XXXVIII. Codici Vaticano Mathiæ nomen, ut Bernensi, inscriptum est.

[2] *Zu Mathias von Neuenburg* in *Zeitschrift für Geschichte des Oberrheins*, N. F. 1891, tom. VI, p. 496-515. In eodem periodico (VII, p. 724) exemplis demonstrat quo modo Mathias e propriis recordationibus et collegarum ore materiam chronici collegerit.

[3] *Die Chronik des Mathias von Neuenburg*, Leipzig, Dyk, 1892, in-16 (Introductio, p. I-XXVIII).

[4] Et Georgius a Wyss, Turicensis doctissimus professor, qui nuper e vivis decessit, in opere postumo *Geschichte der Historiographie der Schweiz* (Zurich, Fæsi, 1895, 8°, p. 88-92) inter duos adversarios, episcopum et jurisconsultum, cui laboris pars major tribuenda sit, disceptare recusat.

alter alterius collaborator fuerit, nemo est bellatorum qui neget chronicon ipsum documentum esse magni momenti ad res per sæculi XIV primam partem enarrandas. Sane quidem plus vero dicit G. Hechtius quum auctorem « inter historicos hujus sæculi facile principem » vocat « quippe qui non solum rebus suæ ætatis interfuerit ipse sed et jam eas ipsas, prout gestæ sint, sine studio et sine odio perscripserit[1]. » Posteri quidem eum odio in papatum legitimum exarsisse judicaverunt quum a patribus Concilii Tridentini in indicem librorum prohibitorum narratio ejus « donec corrigeretur » delata esset[2].

« Chronica composita sive facta per magistrum Mathiam de Nuwenburg... a tempore Friderici imperatoris, quo precedens cronica et alie cronice dimittunt », — ut codex Bernensis habet, — tractat « de omnibus pontificibus, regibus et imperatoribus usque ad Carolum quartum, filium Johannis regis Bohemie, et Clementem papam sextum inclusive[3]. » Sed materiam, fortasse propter naturam fontium suorum, diversis modis tractavit auctor, quum in priore operis parte anecdotorum potius farraginem et quasi prima legendæ Rodolphinæ lineamenta nobis præbeat, in posteriore vero, ab anno circiter 1346, annales chronologico ordine dispositos et notitiis pretiosissimis instructos invenimus. Ex diversorum codicum collatione satis constat narratorem varias chronici recensiones per annos 1350-1352 descripsisse quarum eum admodum unam usque ad annum 1356 ipsum duxisse affirmari potest[4]. Quæ vero hoc ab anno ad annum 1378 sequuntur capitula a continuatoribus anonymis Argentinæ addita sunt nec in omnibus manuscriptis reperiuntur. Narrator, quisquis fuit, vir sapiens, rerum publicarum peritus et arcanis politicis plane initiatus fuit qui in certamine Curiæ et Imperii satis moderate imperatoris partes secutus, tamen nec summos pontifices vehementer insectatur nec imperatoris errores silentio præterit.

[1] G. Hecht, *Germania sacra et litterata*, p. 548.

[2] C. Wenck in periodico *Neues Archiv*, 1884, p. 69.

[3] Bœhmer, *Fontes*, IV, p. 149.

[4] L. Weiland, *Einleitung*, *op. citat.*, p. XXIII.

Opusculum vero *de progenie, origine et gestis Bertholdi de Buchecke, episcopi Argentinensis*[1], ab omnibus Mathiæ Neoburgensi tribuitur. Cujus pars prior Bertholdi vitam ante episcopatum denarrat, altera majorem partem cum chronici narratione congruit; post Bertholdi mortem (1353) alia chronici excerpta textui *Vitæ* inserta sunt quam optimis biographiis episcoporum vel abbatum medii aevi judices peritissimi adnumerant.

§ 9. **De Jacobo Twingero Regiovillano vulgo Jacobo de Kœnigshoven.**

Exeunte sæculo quarto decimo fuit Kœnigshovius, cujus nomen inter historiæ Alsatiæ scriptores mirum in modum floruit non tam ob auctoris scientiam aut rerum enarratarum ubertatem quam propter singularem favorem quo et apud æquales et apud homines sequentium temporum tota in Germania superiore usus est. Forma, re vera, chronici mediævalis populari sermone conscripti quasi typus posteris exstitit, et quum ad nostra tempora vix una vel altera chronicarum alsaticarum semel ab eruditis in lucem edita sit, Kœnigshovii textus jam eodem quo fuit sæculo, in ipsis typographicæ artis incunabulis, licet partim, ex codice Heidelbergensi prelo mandatus est[2]. Novam ejusdem operis editionem quæ, exeunte sæculo septimo decimo, quum vix Argentoratum se Ludovico XIV dedisset, a celeberrimo jurisconsulto D. Johanne Schiltero ibidem edita multisque documentis locupletata est, adhuc multæ familiæ pie asservant[3]. Nostro quidem sæculo simul cum Closneri narratione fragmentatim in *Codice*

[1] *Vitam* in G. Studeri Mathiæ editione, pag. 220 reperies et in Alph. Huberi *Fontibus*, IV, p. 297.

[2] Sine anno et loco (sed 1474, ex officina Johannis Bæumleri, Augustani), 183 fol. in-fol. « *Hie vohet an die cronica, etc.* » Vide Potthast, p. 555, et Hegel, I, p. 225-226.

[3] *Die ælteste Teutsche so wol allgemeine als insonderheit Elsæssische und Strassburgische Chronicke von Jacob von Kœnigshoven... in truck gegeben von Dr Joh. Schilter.* Strassburg, Josias Stædel, 1698, 1172 p. 4°.

diplomatico Argentinensis civitatis ab Adamo Gualtero Strobel et a Ludovico Schneegans publicatum est[1], et tum quum nefandum jam illud incendium quo manuscripta Regiovillani simulque innumeri alii codices ad historiam Alsatiæ pertinentes deleti sunt, instabat, quarta vice summo studio vir celeberrimus Carolus Hegel, Erlangensis, cum commentariis uberrimum Kœnigshovii textum in lucem protulit et, si non ceteros attamen hunc ab interitu nunquam satis deplorando salvum fecit.

Auctor noster, Twingerorum gente ortus, quæ jam per sæculum et ultra Argentorati florebat, natus est anno 1346, patre Fritschio seu Friderico de Kunigeshoven, matre Metza[3]. Quid per juventutis annos fecerit, nescimus; nam quæ de sigillarii officio ei ab episcopo Argentoratensi commisso nonnulli narrant, nullo certo documento firmari potest et ab aliis valde in dubio positum est. Hoc unum constat, eum anno 1382 tantum « in presbyterum ordinatum esse ». Inter præbendarios chori Ecclesiæ majoris Argentinensis primum numeratur et « capellanus in Beatæ Virginis capella sub umbone dictæ Ecclesiæ » dicitur[4]. Paulo post ecclesiæ Drusenheimensis, vici inter Argentoratum et Lauterburgum, ad fluvium Moderam, prope Rhenum siti, rector constitutus est[5]. Unde post decennium, vel postea, ad urbem revocatus, anno 1394 « publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius » creatus est et mox etiam capituli Sancti Thomani canonicus gubernatorque hospitalis a domicella Phyne Argentinensi olim fundati designatus est. Quanta sollicitudine res sibi com-

[1] *Code historique et diplomatique de la ville de Strasbourg*, t. I (Strasbourg, Silbermann, 1843, 4°), p. 1-236.

[2] *Die Chroniken der deutschen Stædte vom 14. bis zum 16. Jahrhundert. Die oberrheinischen Stædte : Strassburg*. Vol. I. (Leipzig, Hirzel, 1870), VIII, 1-499 p.; vol. II (1871), p. 500-1167 p. 8°.

[3] Omnia quæ de Kœnigshovii familia vitaque reperta sunt documenta apud Ludovicum Schneegans (*Code diplom.*, Notice, p. 1-60), Carolum Hegel (in proœmio) et Aloysium Schulte, in dissertatione mox citanda invenies.

[4] A. Schulte, *Closener und Kœnigshoven, Beitræge, etc.* in *Strassburger Studien* (1882), tom. I, p. 277-299.

[5] In indice alphabetico recensionis B legitur : « Jocop Kirchherr ze Trusenheim maht diss buoch noch gotts geburte 1386. »

missas tractaverit adhuc ex archivo capituli comperire licet, ubi omnes donationes juraque collegii propria manu in cartularium nitidissimum congessit. Inter libros suos laboriosam sanctamque vitam in patria civitate egit donec anno 1420 « in ipsa die beati Johannis Evangeliste obiit, ut in epitaphio adhuc in Thomana ecclesia exstante legimus, dominus Jacobus dictus Twinger, fidelis canonicus hujus ecclesie. Orate pro eo ! [1] »

Per quadraginta saltem annos Kœnigshovius noster quæcunque res per orbem christianum gestæ ad ejus cognitionem veniebant omnes diligenter collegit ut civibus laïcis historiam universalem, licet summariam, populari forma conscriptam offerret. Ut omnes fere medii aevi annalistæ ita ille quoque criticæ artis tam rudis est ut suis in narrationibus, præsertim quum de rebus procul gestis tractaret, errores et mendas multas et graves enumerare non difficile sit. Perfacilis ergo fuit vituperatio quorumdam nostri temporis eruditorum, sed forte subridicula ; quis enim a plebano rurali vel etiam canonico quarti decimi sæculi, qui nunquam ab arctiore patriæ territorio profectus sit, perfectam illam scientiam quam Zoili isti sibi vindicare videntur poscere potest ?

Quum igitur per longos annos tam in ruris solitudine quam inter varia urbis officia collectanea contulisset, quæ currente calamo et latino idiomate conscripta, sub vocabulo *Chronici latini* Jacobi de Kœnigshoven alsaticis eruditis nota erant, sed incendio anni 1870 deleta sunt, materiam tali modo consarcinatam per diversas rubricas disposuit, ordine chronologico omnino derelicto, et indicem alphabeticum suppeditavit cujus auxilio facile his e fontibus quæ sibi ad chronicam conscribendam necessaria essent, hauriret; chronicon vero latinum scribere nunquam Regiovillano in mente fuit.

Post annum vero 1382, quum sacerdotii munere fungeretur, ad usum burgensium quos ipse dicit « his rebus æque ac clericos studere », narrationem compilare constituit, ut ante oculos res a patribus gestas haberent, et huic primæ chronici germanici recen-

[1] L. Schnéegans, *L'Église de Saint-Thomas*, Strasbourg, 1842, p. 222.

sioni ad annum usque 1390 incubuit. Secundam vero operis editionem inchoavit anno 1386, illo quidem tempore quum in Drusenheim parochus vitam ageret, narrationes passim decurtans, quo facilius describi posset codex et minoris pretii esset, et hanc novam chronici recensionem ad annum 1395 perduxit. Anno denique millesimo quadringentesimo, Argentoratum reversus, tertiam teutonicæ versionis recensionem non sine multis augmentis aggressus est et ad annum 1415 usque, novas interdum notitias collectas huic novissimæ operis perscriptioni inseruit.

De Chronico latino difficile est multa verba facere quia, notulis quibusdam exceptis, omnino periit, quum ab Adamo Gualtero Strobel, Ludovico Schneegans et Carolo Hegel tantum perlustratus sed nunquam fusius excerptus sit. Adservabatur primum codex autographus in ædibus fabricæ cathedralis[1], postea, anno 1635, mense octobri, custodiæ archivi Argentinensis præfectorum concreditus, nostris vero temporibus ex securis archivi scriniis in bibliothecam civitatis translatus est. In prooemio declarat auctor: « quosdam flores seu aliqua in historiis utilia ac delectabilia de diversis libris cronicorum et specialiter de speculis historialibus et cronicis fratrum Vincencii et Martini, que moderni reputant veriora in præsens opusculum excerpendo collegi et præcipue aliqua que in civitate vel dyocesi Argentinensi geste sunt vel in fama celebriori feruntur, ad certum ordinem temporum redegi... primo per annos a creatione mundi, dein per annos incarnacionis... per pontifices et imperatores descendendo usque ad tempus nostrum, videlicet ad tempora Gregorii pape XII et Ruperti de Peygern regis Romanorum deduxi inclusive[2]. » Rubricæ vero codicis nostri hæc fuerunt : *Caput* I, *de aetatibus mundi in generali* (fol. 1); Caput II, *de Cathalogo romanorum pontificum* et *Cathalogi diversorum regum* (fol. 6); Caput III, *de vocabulis gentium, de terra et eius partibus* (fol. 18); Caput IV : *Catha-*

[1] « *Unser Frawen Werckhauss* » (*Œuvre Notre-Dame*).

[2] Vide Lud. Schneegans, *Notice*, p. 55-56, et Carolum Hegel, I, p. 162. Codex quem sæpius in manibus habui, 256 folia numerabat in-folio minoris.

logus episcoporum Argentinensium (fol. 29); Caput V: *Registrum diversorum gestorum secundum ordinem alphabeti* (fol. 39); Caput VI, *de fundatione et conversione Germanie et Argentine civitatis* (fol. 64); Caput VII: *Incipit de hystoria Machemati principis Sarracenorum, etc.* (fol. 69); Caput VIII: *In quo declarantur gesta pontificum et imperatorum romanorum nec non quedam alia que in registro præcedenti scripta sunt* (fol. 80). Quæ sub hac rubrica consarcinata erant, ad mortem usque Johannis papæ XXIII (1419) et ad Sigismundum imperatorem pertinebant, sed in medio alia fragmenta, præsertim ex codice Ellenhartiano (Miracula Beatæ Virginis in Ecclesia Argentinensi, Conflictus in Husbergen, etc.) denotata fuerunt, inter quæ et teutonico idiomate conscriptæ narrationes reperiebantur.

De Chronico Kœnigshovii germanico planius jam referre licet, quum et recensionis unius primarium codicem et omnium exemplaria permulta habeamus. Ex quibus primus locus tribuendus est ei manuscripto ex quo Schilterus olim editionem suam vulgavit « Chronicæ uff Unser Frawen huss », quod dudum desideratum, nostris modo diebus a viro doctissimo Leone Dacheux, canonico Ecclesiæ majoris Argentinensis in bibliotheca Magni quod dicitur Seminarii, ubi per semisæculum obscurissime latuerat, repertum est. Non dubitandum [1] quin codex calligraphice delineatus, ab ipso auctore recognitus et passim correctus sit, ut ipse attestari possum qui Kœnigshovii alterum codicem autographum, triginta abhinc annis, ad Caroli Hegelii editionem transcripsi. Fragmentum quoddam a fideli S. Thomæ canonico propria manu additum est [2]. Materia vero chronici, ut partim jam a Closnero factum est, ita distributa, ut in capitulo primo historia sancta a creatione mundi

[1] Cfr. dissertationem *La Chronique de la maison de l'Œuvre Notre-Dame à Strasbourg* par L. Dacheux, in periodico *Bulletin de la Société pour la conservation des monuments historiques d'Alsace*, IIme série, tom. XII, p. 90-99. Vide etiam opusculum, sæculo fere toto antiquius, J. J. Oberlini: Jacobum Twingerum Regiovillanum... præside J. J. Oberlino examini subjecit S. F. Hollænder. Argentorati, Heitz, 1789, 4o.

[2] Cfr. Dacheux, *loc. cit.*

narretur, in secundo capitulo series regum et imperatorum romanorum a Romulo ad Wenceslaum regem enumeretur; tertium autem complectitur seriem summorum pontificum a Jesu Christo ad Gregorium papam XII; quartum capitulum historiæ Alsaticæ consecratum est et in illo præsertim catalogum episcoporum Argentinensium reperimus, quinto autem insunt fata urbis Argentorati a fundatione per Treviros, cum additionibus ad annum 1389, bellaque per Alsatiam et extra gesta. In capitulo sexto denique nihil nisi repertorium alphabeticum invenies, ad facta reperienda commodissimum, cui Kœnigshovius non pro minima parte universum coævorum in chronicon ejus incensum favorem debuit.

Multo locupletior exstabat codex autographus auctoris quem littera C. designavimus, tum quod ex antiquis chronistarum fontibus, ex Ekkehardo, Martino Polono, Mathia Neoburgensi, cæterisque nova interdum facta excerpserat, tum vel maxime quia, rebus quæ novissime gesta erant, undique collectis, capitula sua passim porro tractaverat. Et in hac ultima recensione nonnunquam, annalium forma derelicta, facta inter se connexa seriatim enarrat, ut bella contra Anglicos, bella Helvetica, bellum inter civitates liberas et nobilitatem, alia. Usque ad finem fere vitæ continuatus est codex ille una cum codice latino, sola manu auctoris descriptus[1], et in remedium animæ suæ, sano corpore, fabricæ Ecclesiæ Argentinensis dedicatus[2]. Quum ipse chartaceus esset, primum autem manuscriptum, pergamenis splendidius inscriptum, potius visitatoribus fabricæ cathedralis extraneis exhiberetur, paulatim oblivione obrutus est, donec Ludovicus Schneegans, nostris fere temporibus in *Codice diplomatico* hujus recensionis fragmenta publicavit et, ut supra dictum est, recensionem integram, annis

[1] Agili tamen et puro calamo scriptus erat, interdum in additamentis ultimis manu jam senectute tremula, copia bene mundata, non modo primum auctoris conceptum lectoribus præbens, ut Aloysius Schulte conjicere videtur (*op. cit.*, p. 299).

[2] Quæ donatio in festo S. Gregorii facta est, hac vero provisione ut auctor, operis continuandi causa, codicem ad vitæ suæ exitum teneret. E fabrica postea, nescio quo anno ad archivum civitatis migravit et inde ad bibliothecam publicam translatus est.

1866 et 1867 a me descriptam, Carolus Hegel per annos 1870-1871 typis mandavit.

De recensione intercalari (vel B.) quam statuit doctissimus Erlangensis professor et cujus paragraphos a recensione A. vel recensione C. partim differentes e Gœrlicensi præsertim manuscripto fusius enumerat[1], non est quod prolixe disseram quum ad historiam Alsatiæ melius ediscendam minimi sit auxilii. Etsi casu quodam singulari factum est ut multo plura hujus editionis exemplaria ubique reperiantur[2] nemo tamen illam typis vulgavit, duabus aliis exstantibus. Innumera præterea vel curtata vel variis modis aucta Kœnigshovici chronici exemplaria per totum fere imperium romano-germanicum jamjam sparsa sunt, quæ auctoris nomine designata, sæpius etiam anonyma in bibliothecis publicis et privatis permultis servantur[3].

Clericum Argentinensem eruditum librum noluisse scribere ex operis præfatione satis constat, ubi modeste conqueritur « nullas ad usum civium populari sermone scriptas esse chronicas etiamsi et prudentes laïci eadem cupidine ac clerici doctissimi, his de rebus aliquid scire vellent[4]. » Et in chronici latini fragmento, a Ludovico Schneegans servato, expressis verbis affirmat re « ad peticionem laycorum hoc affectancium legere » narrationem « theutonice compositam » edidisse[5]. Ex antiquis igitur historiis, prout sibi ad manum erant, ex Eusebio, Martino Polono, Hermanno Contracto, ex *Historia scholastica* Petri Comestoris nec non ex *Legenda aurea* Jacobi a Voragine aliisque scriptoribus historiæ universalis facta promiscue contulit, tum et Alsatiæ historiam ex codice Ellenharti, ex Alberto Argentinensi et Closneri chronico

[1] Vide Hegel, I, p. 204-211.

[2] Non pauciora quam octodecim exemplaria recensionis B. apud Hegelium notata sunt.

[3] Series codicum ab ultimo chronici editore data e privatorum præsertim bibliothecis multo amplificari potest, quum Carolus Hegel quinquaginta modo Kœnigshovii codices notet.

[4] Hegel, I, p. 230.

[5] Excerpta manuscripta Ludovici Schneegans in bibliotheca Civitatis Argentinensis.

specialem excerpsit. Auctorem, virum laboriosum et integrum accusare nemini licet quod veritatem rerum a se narratarum non pro viribus investigaverit; neque quisquam Kœnigshovium facta sibi cognita neglexisse aut, data opera, lectorem in errorem induxisse affirmabit. Qui ter quaterque inchoatum et satis perfectum opus ab initiis de novo commutaverit, qui tot documenta in archivo Thomano indefessus transcripserit, qui glossarium compilaverit, is certe non pigritia vel levitate adductus laborem ullum recusavit. Nec reverendissimi canonici bonam fidem incriminare æquum est, etsi Kœnigshovium permultis in locis erravisse libenter concedimus. Quod si illi, ut monachis mendicantium ordinum vel cancellario episcopi Argentinensis, facultas data esset ex mœnibus civitatis progrediendi, in exterorum quoque finibus de rebus ibi gestis documenta colligendi atque etiam regum imperatorumque litteras inspiciendi, profecto melior exstitisset historiarum narrator. Sed historicis etiam « non omnibus licet adire Corinthum ». Cur dubitemus quin in bibliothecis Argentinensibus ei quidem apertis omnia quæ ad inchoandum opus utilia judicaverit, attento animo perlegerit et diligenter excerpserit? Sed nec numerosi erant codices nec de paucorum illorum meritis ac fide modestus clericus facile dijudicare poterat. «De vero historici officio tenuem modo notionem eum habuisse » affirmat Carolus Hegel [1]; ex ipso vero optimo jure quæreretur quisnam inter civitatum liberarum incolas illo tempore notionem ampliorem de hoc officio habuerit. Historiam sui temporis Regiovillanus noster partim ne in urbe quidem descripsit, ubi sparsim res gestas vel a Magistratu vel a mercatoribus, vel a mercenariis militibus colligere potuisset, sed in obscuro Alsatiæ vico, ut Aloysius Schulte recte docet [2], quem raro viatores adibant. Qua ratione igitur certos de rebus a se narratis auctores habere potuerit, a bellicosa seminariorum academicorum juventute, quæ his proximis annis summa severitate contra fidelem S. Thomæ canonicum usus est [3], non indicatur — id quod valde dolendum est.

[1] Hegel, I, p. 180.

[2] Schulte, *op. citat.*, p. 285.

[3] Cfr. quod de Kœnigshovii erroribus in enarranda Reutlingensi pugna nec non Dœffingensi exposuit Georgius von der Au in dissertatione Tubingensi : *Zur*

Verumenimvero honestum virum contra immeritas adversariorum objurgationes defendere liceat, qui ut edoceret cives suos, simplici sermone usus res quas noverat, et sicut eas noverat, conscribere ausus est, neque mehercule! eruditionem dignam doctissimis hodierni temporis professoribus ostentare sibi proposuerat.

Alia quidem de causa Regiovillanus plerumque in crimen vocatur. Nam discipulum Friderici Closneri peringratum eum fuisse conclamant, quia antecessorem tacitus excerpserit[1], et maximam chronici partem impudenter suæ narrationi incorporaverit atque alios scriptores eodem quo potuit modo spoliaverit. Nec hoc sæpissime ab eo factum fuisse denegamus et inculpatio nobis nihilominus falsa videtur. Illis enim temporibus, empto manuscripto et jus libere eo utendi emptum fuisse satis constat et historiarum medii aevi scriptores fere omnes hujusmodi furta facere solebant quæ Kœnigshovio objiciuntur. Eumdem usum, sive mavis abusum, et ipsius opus perpessum est neque unquam imitatorum et copistarum gregem ut prædatores insectatus esset, et, si ipse servilis operarius fuit qui ex quinque libris sextum inepte conscripserit[2], operariis cæteris indulgentem certe se præbuisset judicem. Quod ad Closnerum in specie pertinet, non oblivione prætermittendum est Kœnigshovium suum ipsius nomen indici operis soli modeste inscripsisse; qui quanquam Closneri chronicon ab anno 1360 ad finem sæculi et ultra perduxit, nullam tamen sibi ex hoc famam

Kritik Kœnigshovens (Essen, Geck, s. anno [1879?], 8°) et paulo post Hugo Topf in dissertatione Gœttingensi: *Zur Kritik Kœnigshovens* (Karlsruhe, Braun, 1882, 8°) ubi auctorem nostrum in descriptione rerum a Wenceslao gestarum, in peregrinatione Avenionensi Caroli imperatoris. cett. gravissimis inculpationibus, licet non omnibus immeritis, incriminat. Quo doctiores eo mitiores fuerunt antecessores. Carolus Hegel ipse qui Kœnigshovium nullo modo laudibus extollit non adeo misericordiæ expers fuit ac illi juvenes doctorali laurea vix ornati qui cum nutricis lacte summam criticam scientiam suxisse sibi videntur.

[1] Quid dicam de Ottocarii Lorenzii accusatione, Kœnigshovium impudenter copiasse ex alterius chronico narrationem cladis apud Nicopolim (« *schonungslos abgeschrieben* » (*Geschichtsquellen*, I, p. 50)? Quo modo id non faceret? Non interfuit pugnæ ipse, et si hac de re nihil dixisset, ignorantia chronistæ improbaretur.

[2] Lorenz und Scherer, *Geschichte des Elsasses*, I, p. 83.

vindicavit, immo vero Closneri manuscriptum jam in archivo fabricæ Ecclesiæ Argentinensis asservatum additamentis extendere et porro tradere studuit[1]. Suum chronicon ipsius eidem fabricæ archivo donavit ubi quisque burgensis et ejus et Closneri narrationem in eodem sane quidem scrinio invenire poterat. Itaque nullo modo plagiatoribus, qui hodiernis temporibus permulti reperiuntur, immerita confusione adnumerandus est. Nomen, utrum suum an alienum traderetur, minimi, rem vero ipsam maximi momenti eum putavisse dicemus, si mitiore animo chronicam ejus evolvere volemus, errorum et mendarum nequaquam immemores.

Omissis igitur istis severis — ne dicam malevolis — criticis, Regiovillanus est narrator jucundus, scriptor subtilis, narratiuncularum facetus auctor, nec dubitandum est quin joci et legendæ ejus [2] popularibus auribus multo magis placuerint quum si graviore dicendi genere chronici pagellas implevisset. Sic non solum ad Ellæ ripas nomen consecutus est, nostris temporibus permultis, licet indoctis, ingeniis non ignotum, sed etiam per omnes Germaniæ superioris civitates tanquam hospes gratus a burgensibus artis legendi non rudibus acceptus est [3]. In varias dialectos translatum chronicon ejus et ad Francorum, Suevorum, Bavarorum, Helvetiorum usum transformatum est et qui harum regionum narrationes historicas ineunte sæculo quinto decimo scriptas perlustraret ubique Kœnigshovii vestigia his in scriptis inveniret [4]. Plerumque

[1] Quod nostro quidem judicio evidenter ex Regiovillani verbis : « hæc non notavi quum sint jam in chronico fabricæ notata » probatur, ut, exempli gratia, quum de cantilenis flagellantium aït: « *die stont in der croniken uf unser frowen hus geschrieben, dorumbe losse ich sü underwegen, durch kürtze willen.* » (Hegel, II, p. 767.)

[2] Paragraphum ubi narrat qua de causa mulieres masculis loquaciores sint (fol. 3) et historiam S. Gangolphi (fol. 118), exempli gratia, ex plurimis adducimus.

[3] Civibus civitatum liberarum hoc maxime in Kœnigshovio placuit quod, etsi ipse clericus, burgensium libertates semper laudat et defendit, imperatoribus adhærens contra pontifices, et clericorum vitia libenter castigat, dum teutonicam patriam fervore summo contra Francogallos et Italos extollit.

[4] Inter multos Conradum Justinger, Bernensen, Petermannum Etterlyn, Lucernensem, Ulricum Fütrer, Bavaricum, Johannem Bæumler, Augustanum, Chronicon Turicense dictum de Klingenberg, Chronicon Agrippinæ Coloniæ citare liceat. Cfr. Hegel, I, p. 185-198.

autem ea pars quæ speciatim ad Alsaticas regiones spectabat eliminabatur et unusquisque copista universalem chronicam ad proprium commodum commutabat. Sic spoliator ille, ut nonnulli volunt, pæne stupidus [1], ab aliis spoliatus est, ut exemplum et specimen perfecti historici per totum illud sæculum et ultra. Non modo æqualibus enim placuit sed etiam apud posteros plurimum valuit et in arctiore patria ad sæculum usque octavum decimum omnes hujusmodi narrationes vulgari sermone conscriptæ, quibus delectabatur civium multitudo et quas nonnunquam eruditi non despiciebant, sive e Regiovillano excerpta, sive continuationes sunt chronistæ cujus nomen, unice servatum, imitatorum gregem oblivione contexit. Qua de causa fidelem canonicum Argentoratensem Herodotum alsaticum vocare ausim nisi doctorum clamores perhorrescam qui profecto nunquam concedent ut clarus ille Musarum interpres cum obscuro quodam medii aevi divulgatore conferatur.

§ 10. De Kœnigshovii continuatoribus anonymis, præsertim sæculi XV.

Quum Twingeri Regiovillani Chronica apud coævos quasi norma quædam et exemplar artis narrandi exstitisset, non mirum videri potest per sæculum quintum decimum totum textui Argentinensis canonici narrationem rerum postea gestarum nulla cunctatione a multis additam esse. Unde factum est ut Alsaticum nostrum Chronicon et partes ejus diversæ Ariadnæum filum, ut ita dicam, commodum præbuerint quo lectores in labyrinthum historiæ universalis introducerentur. Cæterum multis in locis Germaniæ præsertim superioris continuatores exsurrexerunt anonymi, quorum alii ipsum textum unius vel alterius Kœnigshovianæ recensionis habent, alii versionem curtatam ac deformatam modo, pro suo quisque ingenio vel scribendi genere, tradiderunt.

[1] «*Dieser rein mechanische Compilator*» ut aït Ottocarus Lorenz, *D. Geschichtsquellen*, I, p. 51.

Codices quibus insunt Kœnigshovii continuationes illæ, quanquam permulti diversissimis locis exstant, frequentiores tamen in bibliothecis adhuc et archivis Germaniæ latent et extra. Et in privatorum hominum manibus per Alsatiam nonnulli servantur; quos etsi jam viri commemoraverunt eruditi, nondum satis bene inspectos habemus ut de eorum origine, fatis, auctoribus satis docte dicere possim, nec — quod maximi esset momenti — qua ratione inter semet ipsos congruant omnes aut differant edocere audeam[1].

In plerisque his continuationibus Kœnigshovii narratio ita truncata est ut quæ ad historiam universalem spectant maxima de parte detrusa sint, vel ut locus daretur ad res novas narrandas, vel quod etiam lectoribus inculti ingenii historiam antiquam, aut sanctam aut profanam, minoris esse pretii narratores putabant. In quibusdam contra, historia quum Alsaticarum regionum tum vel maxime Argentinensis excluditur et universalis tantum historia restat ut in Bæumleriana editione, de qua in superiore jam capitulo mentionem fecimus. De quibus libris hac in dissertatione plura dicere non esse locum manifestum est quippe qui ad Alsatiæ historiam nullo modo spectent.

Rarissime codices Kœnigshovii continuati nomen præ se ferunt vel narratoris vel etiam copistæ et sæpius nomine possessoris cujusdam, seu recentissimi seu celeberrimi, designandi sunt; interdum etiam hæc designatio deest et bibliothecæ nomine, ubi asservantur, eos citare opus est. Notandum est illud scriptorum silentium propterea quod res gestas valde raro proprio ex ingenio, ut ita dicam, enarrant, et apud plerosque anonymos narratores textum ad verbum similem invenimus. Etiamsi recensiones paululum inter se differunt factorum tamen seriem fere omnes eamdem referunt; id facile perspicuum erit si quis Kœnigshovii continuatores jam cognitos inter se comparaverit. Illis deest omnibus facultas intelligendi res procul gestas quas tanquam parvi pretii in medio

[1] Quod et nunc difficillime fieri potest quum tot codicibus in Argentinensium bibliothecarum conflagratione combustis, elementa comparationi textuum necessaria magna de parte deficiunt, ut Aloyius Schulte (*op. cit.*) recte monet.

relinquunt, arctiorem modo orbis christiani regionem oculis perlustrantes, Alsatiam scilicet, Sueviæ, Helvetiæ Palatinatusque partes propinquiores, et si interdum de conflictu summorum pontificum cum imperatoribus, de bellis etiam contra Turcos, de rebus quibusdam in Italia vel Gallia gestis aliqua referunt, prolixiore tamen earum narratione nunquam utuntur. Mox et Kœnigshovii rubricas nimis multas esse visas deserunt et ad priorem annalium formam, variis capitulis inter se commixtis, redeunt. Chronistis illis fere omnibus civitatis aut urbis unius historiam tantum tractare constitutum esse etiam inde conspicuum est quod a plerisque tunc in unius cujusque anni initio, sicut in fastis Romæ consularibus, consulis Argentinensis annui nomen præponebatur[1]. Appropinquante sæculo sexto decimo, passim obsoletæ Kœnigshovii verborum formæ mutantur, ars vero discernendi vel narrandi nullo modo aucta est et pæne omnes continuatores illos inferiores potius, quod ad historici officium pertinet, quam superiores esse neminem certe præteribit si cum ipso Regiovillano eos componere curaverit.

Quibus de omni genere narratorum illorum ita dictis, satis erit de codicibus eorum variis, aut partim aut integre servatis, prout nobis cogniti sunt, pauca retulisse. Initium faciemus ab illis de quibus Fridegarius Mone, Archivi Carolsruhensis quondam director bene meritus, in collectione perampla *Fontium rerum Badensium*, disseruit[2], multis ex Kœnigshovii continuatoribus fragmentis adhibitis; quæ etsi maximam partem ad historiam patriæ editoris spectent, tamen et res in Alsatia gestas commemorant. Continuationes omnes brevioribus Kœnigshovii recensionibus adnexæ sunt, tertiam vero atque maximam, nuper a Carolo Hegel in lucem editam ab æqualibus pæne ignoratam fuisse hoc ipso facto perspicimus. Idcirco continuatorum pars, non ubique ultra Regio-

[1] Et Chronica familiaria dici possunt quum sæpe, ut jam videbimus, codices per plures generationes eadem in domo servati et continuati sunt, sæpius etiam gentiliciis insignibus ornati.

[2] *Quellensammlung der badischen Landesgeschichte* von J. F. Mone, Karlsruhe, Macklot, 1848-1863, 3 vol. 4°.

villani, licet ultimi, textum progressa, minoris est nobis pretii, quum res ab eis narratæ et in Chronici majoris capitulis reperimus, quæ a canonico senescente prioribus jam recensionibus addita sunt.

Codex Heidelbergensis (Mscr. 140) annotationes ad annum usque 1434 habet et in Bavarica vel Austriaca regione circiter anno 1456 descriptus esse videtur[1]. Codex Argentoratensis (Mscr. 844) nunc deletus, a primo continuatore ad annum 1464 deductus, postea vero a milite quodam Argentinensi qui bello Neussiaco cum Carolo Burgundiæ duce gesto interfuit usque ad annum 1485 continuatus est[2]. Codicem Basileensem (Mscr. E. I 1[b]) anno 1428 in arce Rœtteln descriptum, sequentibus temporibus Basileæ ad annum 1492 varii scriptores auxerunt[3]. Heidelbergensis codex alter (Mscr. 475), Constantiæ compilatus, ad annum tantum 1412, adhuc vivente Kœnigshovio, productus est[4]. Qua ratione primæ chronici versiones, narratore etiamtum superstite, sæpe commutatæ fuerint, ex codice Bartholdiano, anno 1406 descripto, nunc in bibliotheca Universitatis Argentinensis asservato, Fridegarius Mone accuratissima textuum collatione demonstravit[5]. Codex San-Blasianus, nunc Carolsruhensis (Mscr. L.) anno 1403 descriptus, continuationes modo de annis 1519-1545 exhibet, nullas autem ad sæculum quintum decimum pertinentes[6]. Idem de codice Furstenbergico in bibliotheca Donaueschingensi servato dici potest, qui anno 1389 conscriptus non ultra annum 1412 continuatorem anonymum habuit, Constantiæ aut certe in diocœsi Constantiensi scribentem[7].

In archivo civitatis Coloniensis exstat codex Kœnigshovianus, in quo ejus narratio primum ad annum 1429 deducta, ex missivis

[1] Mone, I, p. 252, 254-256.
[2] Mone, I, p. 253, 265-280.
[3] Mone, I, p. 280-300.
[4] Mone, I, p. 300-302.
[5] Mone, III, p. 470-496.
[6] Mone, III, p. 496-502.
[7] Mone, III, p. 502-516.

litteris Magistratus Argentoratensis continuatur et documentis probatur. Quo jure Fridegarius Mone eum codicem publica auctoritate et jussu consilii civitatis compilatum declaret nescio[1], quoniam nec in publicis scriptis illius sæculi nec posterioris temporis aliquod inveni documentum ex quo concludi potest Chronicon Argentinense, quasi ex officio conscriptum, unquam exstitisse.

Eodem fere tenore sunt codices Regiovillani quos Christianus Pfister, apud Nanceios professor historiarum eruditissimus in Bibliotheca Nationali Parisiensi inventos descripsit et quorum fragmenta nuper evulgavit. Quorum primus (Mscr. allem. 82) circiter anno 1460 delineatus e bibliotheca cardinalis Mazarini acquisitus est; alterum (Mscr. all. 99) anno 1472 finitum putat. Sed valde uberiorem rerum Alsaticarum fontem tertium manuscriptum habemus (Mscr. all. 83) quod etiam cardinalis Mazarinus olim coemerat et ex quo septuaginta fere fragmenta, ab anno 1452 ad annum 1513 a Pfistero excerpta sunt. Illis perlustratis, de visu nobis perspectum est quam angusta via continuatores Kœnigshovii progrediantur omnes, quum et in eis materiam veterem, etsi nova sub forma oblatam, tamen ex aliis chronicis persæpe jam notam invenimus[2].

Et in bibliotheca Universitatis Argentinensis novæ reperiuntur Kœnigshovii continuationes quædam. Ex quibus una (L. Als. 277) omnia capitula quæ ad Alsaticas res non pertinent excussit, tum ab anno 1350 annalium formam stricte assecuta est; nam in sin-

[1] Mone, t. III, p. 516. Hoc unum concedendum quum septuaginta tria fragmenta a Fridegario Mone e codice Coloniensi excerpta perlegissemus, huic notissimam Kœnigshovii continuationem inesse, quæ non modo in prædicta urbe servata fuit sed apud Argentorenses ipsos prævaluit; eorum enim major pars in omnibus sæculi sexti decimi chronicis adhuc notis, in *Archivi Chronico*, apud Meyerum, Specklinium ceterosque reperitur. Continuatori ipsi, seu clerico, seu laïco, scripta illa, etsi publica auctoritate missa, etiam privato perlustrare quis dubitat quin concessum fuerit? His vero jam temporibus persæpe res coram populo gestæ sunt et nihil obstat quin continuatorem in ipso civitatis consilio quæramus, proprio jure annalibus suis litteras paulo ante auditas inserentem.

[2] *Les manuscrits allemands de la Bibliothèque Nationale relatifs à l'histoire d'Alsace*, Paris, Fischbacher, 1893, 247 p., 8°.

gulis codicis pagellis consul inscribitur, deinde res illo anno gestæ, pleræque exteriores, sequuntur, sæpe vero nihil nisi consulis nomen affertur. Ab anno 1372 ad annum 1394 narrationes uberiores reperiuntur e Kœnigshovio descriptæ. Ab anno prædicto Annales iterum incipiunt usque ad annum 1462 et fere nullis narrationibus intermixti. Ultima codicis folia desunt. Quæ Kœnigshovii textui hoc in codice addita sint e ceteris jam in lucem provectis chronicis novimus[1].

Alium Regiovillani continuatorem in codice Basileensi capellani Erhardi de Appenwiler invenit Augustus Bernoulli et partim collectioni Chronicorum Basileensium inseruit. Narrationem ad eumdem annum 1452 perduxit, quo fere anno et Coloniensis continuator et Constantiensis substiterunt. Et is præsertim paragraphos de bellis per Alsatiam, Sueviam et Helvetiam gestis, et de clade Nicopolitana nobis maxime familiares habet permixtos tamen cum notitiis quas Bernoullius ex Chronici Colmariensis potius continuatione quadam, vel Basileæ vel Colmariæ scripta, excerptas putat[2].

Et in bibliotheca Wratislaviensi codex chronici Kœnigshovii supplementis auctus exstat, nondum satis exploratus[3], cui, teste Guillelmo Altmann, post quintum capitulum farrago quædam anonyma inest rerum quinto decimo sæculo gestarum et præsertim ad Alsatiam, Argentinam, bellum Armeniacum, Helvetosque pertinentium, nullo discrimine collecta. Ex fragmentis, licet perpaucis, quæ Altmannus dissertationi inseruit, conjici potest[4] chronici textum in quadam Rheni inferioris civitate, fortasse Coloniæ, descriptum fuisse.

Alium codicem manu scriptum Kœnigshovii continuati nuper

[1] Scriptus est ille codex, minime æstimandus, secunda fortasse in parte sæculi septimi decimi et paulo post in margine rubricis gallico sermone conscriptis, ad usum possessoris ornatus est.

[2] *Basler Chroniken*, tom. IV (Leipzig, Hirzel, 1890), p. 408, 422-459.

[3] Altmann, *Zu Eberhard Windecke*, *Neues Archiv*, tom. XVIII, p. 688.

[4] Ut exempla afferam, *boich* loco *buoch*, *dat* loco *das*, etc. Ex Eberhardi Windecke chronico continuationem modo partim descriptam esse putat Altmannus; codicem ipsum perstringere opus esset ut hac de re certiores fiamus.

bibliotheca Civitatis Argentinensis ex Caroli Bartholdi Colmariensis collectione coëmit (Mscr. nº 706), ineunte sæculo septimo decimo delineatum. Regiovillani exordium deest, primaque capita valde contracta sunt, quum historia tam judaïca quam græca et romana absit et a Trebeta Ninivitano oriatur narratio. Etiam veterem verborum formam continuator recentiore sermone commutavit. Et hic consulum nomina in uniuscujusque folii culmine neque quidquam aliud, reperimus, seu ignorantiæ seu pigritiæ causa. Bella præsertim sæculi quinti decimi fusius enarrantur, ut bellum circa arcem Dachstein (1419), bellum Armeniacum sive de Armagnacis, quibus octoginta fere paginæ tribuuntur (1444), bella contra Carolum Burgundiæ ducem (1474-1477), cujus tamen narrationis elementa et in J. Schilteri additamentis, in Archivi Chronico, apud J. J. Meyerum, Danielem Specklinum et alios sæculi sexti decimi chronistas passim invenimus. Ab anno 1510 codex Bartholdianus, annalium sub forma, iterum catalogum consularem habet, textui chronici Imliani, de quo infra dicemus, fere similem, ad annum post Interim Augustanum (1549). Mediis vero in rebus (fol. 419 ss.) varia, vel ex Kœnigshovio vel aliunde collecta fragmenta ab anno 1358 ad imperatoris Friderici III magnificum in Argentoratensium urbem introïtum (1473) intercalavit[1]. Quæ in sequentibus ducentis chronicæ paginis collecta sunt carmina satirica in clericos[2], narrationibus variis commixta, non ad hunc paragraphum pertinent et mediocris sunt momenti si Mulhusinam occupationem (1587) excipias[3], quum in Argentoratensibus chronicis de rebus in Alsatia superiore gestis verba ampliora fieri rarissimum sit. Sub finem alphabeticus chronici index peramplus foliis 724-769 continetur.

[1] Ut jam dixi, codex ipse scriptus est ineunte sæculo septimo decimo sed sane quidem primum hoc in loco recensio anterior finita est; tum alius codicis possessor exemplar suum novis collectaneis auxit, quæ a copista posterioris temporis non ad suum quidque locum posita sunt.

[2] Fol. 536-538 carmen contra sacerdotes catholicos (1551); fol. 661-671 carmen in præpositum capituli Ecclesiæ cathedralis; fol. 671-680 pasquillum in episcopum, etc., quæ nondum typis evulgata vidimus.

[3] Fol. 691-704.

Ex continuationibus Kœnigshovii fere notissima nomine Chronicæ Duntzenheimianæ designatur quia, partim quidem, a Conrado a Duntzenheim, Argentinensi patricio, qui anno 1484 consul fuit, compilata et ab ejus progenie continuata est. Quo in codice per longum temporis spatium Argentinæ asservato, prima pars Kœnigshovianum chronicon est, valde abbreviatum, quippe cui desit historia pontificalis, variis tamen ad historiam Argentinensem specialem pertinentibus factis exceptis. Quem Duntzenheimianum codicem Schilterum ante oculos habuisse, quum anno 1698 brevius canonici nostri ederet chronicon, et ex eo perplura relationi suæ addidisse constat [1]. Illo tempore erat Lazari Zetzneri, quindecimviri, postea Ulrici Obrechtii, prætoris regii, quo defuncto vir doctus Zacharias Uffenbachius, Francofurtensis, eum coëmit; ex Uffenbachiana bibliotheca ad manus liberi baronis de Senckenberg, consiliarii aulici, Vindobonam translatus, denique cum Senckenbergianis ceteris manuscriptis bibliothecæ Universitatis Giessensis incorporatus est [2], ubi Carolus Hegel eum adhuc exstantem exploravit [3]. Giessensis tamen recensio codicis Duntzenheimiani ad annum 1495 continuata non unica fuit; nam e citationibus variis constat Argentorati, ad finem usque sæculi octavi decimi, alteram chronicam Duntzenheimianam servatam fuisse, ex qua Andreas Silbermann et Johannes Friese notitias sumpserunt diversas [4], et quam nostris etiam temporibus, Jacobus Gyss, canonicus eruditissimus, inspexisse videtur [5]. Quæ post annum 1486 codici

[1] Schilter, *Strassburgische Chronike*, p. 409-436.

[2] Catalogus manuscriptorum, nº 179. In codice adhuc legitur : « *Diss buoch ist Conratt von Duntzenheymb* » et Schilteri notationes in margine apparent. (Hegel, I, p. 215.)

[3] Errat tamen Carolus Hegel quum codicem a Conrado consule ad annum usque 1495 deductum fuisse affirmat quod illum anno 1486 denatum scimus (Kindler von Knobloch, *Das goldene Buch von Strassburg*. Wien, 1885, 8º, p. 67.)

[4] Silbermann in opusculo *Historische Merkwürdigkeiten*, 1804 a Johanne Friese in lucem edito, Drusenheimianum codicem ad annos 1582-1583, 1612-1623 et 1633 excerpsit (fol. 177, 189, 207) et in sua *Vaterlændische Geschichte*, textum ejus ad annos 1588 (II, p. 333) et 1624 (III, p. 66) Johannes Friese adducit.

[5] Citat in opere *Histoire d'Obernai* (I, p. 457) folium 294 chronici ad annum 1555, sed errat quum in archivo civitatis conservatum esse affirmat, ubi certo, nostris quidem temporibus, nunquam fuit.

Duntzenheimiano Argentorati addita sunt, Conrado alteri a Duntzenheim tribuenda sunt, qui sicut antea pater, annis 1505, 1510, 1517, 1523, 1529 consul fuit in patria civitate, vir satis eruditus, rerum externarum studiosus, qui quum bis jam Terram Sanctam adiisset et sese Jordani in undas immersisset, ut Schadæus in chronico refert[1], in tertio itinere, Venetiis morbo correptus, anno 1532 e vita migravit. Et ejus filius Jacobus, annis 1548 et 1554 consul fuit Argentinensis, sed eodem jam anno mortuus est. Ultimus e Duntzenheimiorum stirpe fuit Philippus qui adhuc anno 1577 vivebat sed filias modo genuit[2]. Facile intelligitur talem seriem non interruptam virorum summæ in republica auctoritatis, etiam in notandis rebus patriis maximi pretii fuisse, et vehementer dolendum est recensionem jam anno 1495 abruptam Giessensem ac non potius Argentinensem, ad sæculum usque septimum decimum continuatam, conservatam fuisse. Cujusnam calamo ultimæ chronicæ partes, post exitum Duntzenheimiæ gentis conscriptæ fuerint nescimus nec unquam sciemus quum ipse codex ignibus consumptus sit.

§ 11. De Reinbolto Slecht canonico Argentinensi.

Quum tot et tam varii Regiovillani successores conflagratione bibliothecarum Argentinensium perierint, unus e scriptoribus alsaticis sæculi quinti decimi jamdudum oblitus nuperrime quasi e mortuis resurrexit et ad lucem productus est[3], Reinboltus Slecht, clericus Argentinensis, capituli Sancti Petri Junioris canonicus et cantor, cujus opusculum, superiore jam sæculo Schœpflinus *Scriptoribus rerum alsaticarum* suis inserere constituerat. Neque tamen inter

[1] Chronicon Argentoratense manuscriptum, fol. 193ᵃ.

[2] Kindler a Knobloch, *op. cit.*, p. 68.

[3] Reinbolti Slechtii chronicon Richardo Fester debemus qui codicem Basileæ reperit postquam felici quodam casu adductus, humanissimo viro illius vestigia e notulis Ludovici Schneegans manuscriptis designare mihi contigit. Evulgavit Argentinensis clerici narrationem in periodico *Zeitschrift für die Gesch. des Oberrheins*, N. F. tom. IX, p. 79-145, notitia de vita Slechtii criticisque notis adjectis.

Kœnigshovii asseclas numerandus est, quod non concivis sui chronicon sed opus per medii aevi tempora frequentissime descriptum, *Flores temporum* fratris Martini minoritæ continuavit, quod alius jam ejusdem ordinis monachus, Hermannus Januensis aut Hermannus Gigas ab anno 1290 ad annum 1349 produxerat[1].

De auctoris vita pauca nobis cognita sunt; eum vero necessario ante annum 1380 natum fuisse inde apparet quod jam anno 1405 canonicus dictus est et cantor. Anno 1415 Constantiæ eum degentem invenimus et chronicæ scribendæ incumbentem, anno vero insequenti, a judicibus quos Concilii patres ad compescendam litem inter Guillelmum episcopum et Magistratum Argentoratensem delegaverant ad patriam urbem missum ut a consulibus civitatis documenta quædam litigationis posceret. Anno 1419 fit ultima ejus nominis mentio in catalogo decimarum Argentinensium et ibi parochus Munzingensis in diœcesi Constantiensi dicitur[2]. Quo anno emortuus sit non magis notum est quam quo natus sit, sed verisimile est auctorem non longo tempore post ultimum annum chronico inscriptum a vita discessisse[3].

Opus Slechtii exstat in codice bibliothecæ publicæ Basileensis ex quo ipso Schœpflinus ad proprium usum textum describendum curavit. Ex Uffenbachiana Francofurtensi bibliotheca quondam Basileam in Huberianam migravit et a J. J. Hubero patriæ civitati dono datus est. Codici inscriptum est, manu hominis cujusdam sexti decimi sæculi: Hermanni ordinis Minorum fratris chronicon universale a creatione mundi usque ad annum MCCCXLIX, continuatum per Remboltum Slecht cantorem et canonicum S. Petri Junioris Argentoratensis, ad annum usque MCCCCXLIIII[4]. »

[1] Quantum absit ut de his Minoritarum chronicis nec non de auctoribus sufficienter edocti simus, satis apparet ex Ottocarii Lorenzii paragrapho, *Geschichtsquellen*, I, p. 62-67. Slechtii codex unice Hermanni fratris nomen habet.

[2] De quibus vide Festerum, *op. citat.*, p. 84-85.

[3] Ex notitia quadam Ludovici Schneegans notum est nobis diem anniversariam Reinbolti libro anniversario Sancti Petri Junioris, inscriptum fuisse quintum Idus Januarias, quo anno vero, nusquam enunciatur.

[4] Viro eruditissimo Augusto Bernoulli, bibliothecæ Basileensis præfecto, qui mihi codicem Argentorati, perscrutandi causa, misit maximas ago gratias.

Codex ipse sæculo quinto decimo mediante ab uno et eodem copista, satis rudi, descriptus, septuaginta novem foliorum est. Ipsius Hermanni, seu mavis, Martini chronicon jam ab Eccardo [1] et a Meuschenio [2], denique etiam accuratius in *Monumentis* editum est [3], Reinbolti vero Slechtii continuatio ad nostras dies latuit, et folio 57[b] incipitur, ubi legimus : « hic venerabilis dominus Remboltus Slecht... prosequitur ubi superius dimissum est, videlicet a tempore Karoli quarti imperatoris, filii regis Bohemiæ et a tempore primi anni scismatis inter Urbanum et Clementem hunc ordinem complevit, prout sequitur usque ad finem hujus libelli. » Triginta septem codicis folia hæc continuatio duplici columna complet, ultimæ vero manuscripti paginæ brevem Urbis descriptionem sive *Mirabilia Romæ* lectori præbent.

Historiam Caroli imperatoris Slechtius partim « e chronico Jacobi de Kunigeshoven canonici... Argentinensis qui multa scripsit », ut ipse folio 58[a] refert, deprompsit [4], ceterarum vero rerum gestarum narrationem aliunde supplevit [5], et sine dubio multa quæ enarrat, ut Concilii Pisani et Constantiensis acta ex propria rerum scientia denotavit, quum ipse Constantiensi concilio interfuit. Et Ruperti regis et Sigismundi imperatoris vitam et regnum fusius tractat [6], minus cupidus cognoscendi res procul a Rheno gestas et quotiens in illas incidit, plerumque male informatus. Bellum contra Hussitos et initia Concilii Basileensis brevissime notata sunt et cum incursione Armiacorum (sic nomen habet Armagnacorum) anno 1444 finem imposuit labori suo ad Alsaticarum, Suevi-

[1] Corpus historiæ medii ævi, Lipsiæ, 1723, fol. Tom. I, p. 1551-1640.

[2] Hermanni Gygantis... Flores temporum, Lugduni Batavorum, 1743, 4°.

[3] *Scriptores*, tom. XXIV, p. 230-249.

[4] E chronico scilicet latino. Cfr. Fester, *op. cit.*, p. 85.

[5] Ex annalibus Stuttgartensium canonicorum interdum hausisse demonstrat Fester, p. 86.

[6] Slechtius mihi videtur, primus ex alsaticis scriptoribus historiam, hodie notissimam, Sigismundi imperatoris Argentoratenses visitantis narravisse, « ubi jocose vixit cum mulieribus » (fol. 62[b]) et eum, scilicet nobilissimæ civitatis matronæ « nude, nichil indutum nisi bracca, per plateas discalciatum duxerunt, tripudiando venerunt ad quendam altbuesser, sibi calcios duos... grossos emerunt... et secum duxerunt usque ad Hohensteg et ibi currisabant. »

carum Helveticarum regionum historiam melius cognoscendam non inutili.

Primam et secundam continuationis Slechtii partem ante mensem majum anno 1415 conscriptas fuisse et quasi uno tenore formatas Richardus Fester demonstrat (p. 84), et tertiam chronici partem eodem fere tempore compositam putat. Sequentibus vero in paginis, secundum chronologicum ordinem res narratæ non ultra congregatæ sunt, quum una quæque notitia suo temporis momento chartis imposita, postea, fortasse per scribam minus eruditum promiscue codici inscripta fuit. Etsi jam Slechtius ipse prava latinitate sermonis sui barbariem hujus sæculi sufficienter demonstrat, tamen et negligentia copistæ textus hic et illic corruptior factus est.

§ 12. **Scriptores Alsatici sæculi XV varii.**

a) *De Euchario Artzt Wissemburgensi.*

In Mundato Alsatiæ inferioris, Kœnigshovii exemplum secutus, historiæ patriæ narrandæ sese dedit Eucharius seu Eickhartus Artzt, civis Wissemburgensis, qui aliunde nobis non cognitus est[1]. Is chronicon ab anno 1440 describere instituit[2] de rebus prope Albam regiam gestis[3]. Re vera narratio ejus modo ab anno 1450 uberior fluens bella maxime inter Electores palatinos, comites de Leiningen et Hanovio-Lichtenbergenses (1450-1455) conflictumque cum civitatibus Suevicis (1449) complectitur. Maxima vero chronici pars per annos 1469-1471 scripta fuit, quum et Alsatia inferior bello vastaretur inter Fridericum electorem gesto et Jacobum de Bruck, Wissemburgensem abbatem, a civitate adju-

[1] Hujus nominis causa eum medicum fuisse nullo modo argumentari potest.

[2] «*Nachvolgende cronik han ich Eucharius Arzt, burger zu Weysenburg geschriben und gemacht in dem iar da man zahlt nach christi geburt 1440...*» (fol. 18[a]).

[3] «*Und saget von etlichen namhaften dingen die hie zu Weysenburg und nahe dabey in diesem landt geschehen synt.*» (*ibid.*).

tum, cui vi armisque abbatiæ territoria a comite palatino abrepta fuerant et Alba Regia ipsa a principe illo belli cupidissimo obsideretur. Quem Eickhartum vulgo anno 1471 emortuum dicunt, hoc unice testimonio adhibito, quod chronicon ejus eo tempore desinit [1].

Auctor est veridicus et prudens, qui res in propinquis regionibus gestas diligenter exploraverat et per secundam sæculi quarti decimi partem non ignobilem inter Palatinatus et Alsatiæ inferioris historicos locum occupat. Eickharti Artztii narratio in codice Heidelbergensi chartaceo servata est [2], ex quo primum Alexander Wuerdtwein in opere quod *Nova subsidia diplomatica* [3] inscribitur Artztii textum partim edidit, tum Fridegarius Mone in periodico badensi [4] ordine chronologico fragmenta contulit. Novissimus chronici editor, Carolus Hoffmann, qui Eucharium nostrum primo Kœnigshovii continuatorem esse ait, deinde vero falsam hanc opinionem retractavit [5], Artztii textum in lucem produxit, ita tamen ut partes separatim ederet, folia scilicet 10-46 et 70-71 codicis sub nomine *Wissemburgensis Chronici*, folia vero 46-69 sub titulo *Belli Wissemburgensis* [6], quod nullo modo comprobari potest, quum uno certe quidem tenore et ab eodem auctore conscriptum sit.

b) *De Petro Hermanno ab Andlo.*

Eodem fere tempore quo Eickhardus Artzt Wissemburgi chronicon conscribebat, in Alsatia superiore quoque *Chronicon Alsatiæ* compilatum fuit, si quibusdam recentioribus credere fas est, a viro

[1] Strobel, *Geschichte des Elsasses*, III, p. 452.
[2] Codices germani, nº 116.
[3] Tomo X, p. 323-336.
[4] *Badisches Archiv*, 1827, tomo II, p. 210-307.
[5] In Pertzii *Archivo*, tom. III, p. 260.
[6] In fontium bavaricorum collectione cui nomen *Quellen und Erörterungen zur bayerischen und deutschen Geschichte* (München, Franz, 1862-1863) ubi tomo II, p. 147-208, pars prima edita est, tomo vero III (p. 259-301) pars secunda in lucem prolata.

tunc eruditione et eloquentia florentissimo, Petro Hermanno ab Andlo, quem alii ex genere Andlaviorum nobilissimo originem duxisse, alii ex oppido natali nomen traxisse volunt. Apud jurisconsultos illius ævi nec non apud posteros claruit auctor ille *Libelli de Cæsarea monarchia ad Fridericum III*, plurimis codicibus asservati [1] et frequenter tum Argentorati, tum aliis locis typis evulgati [2]. Petrus ille præpositus Ecclesiæ collegialis Sancti Martini Colmariensis fuit, vice-cancellarius Universitatis Basileensis (1460), rector magnificus (1471) ibidemque juris canonici professor. Circa annum modo millesimum quingentesimum eum a vita discessisse nonnulli putant; anno 1477 certe quidem inter vivos adhuc fuisse constat [3]. Chronicon ejus in Prædicatorum monasterio Guebwillerano diu asservatum, temporibus magnæ perturbationis gallo-francicæ, Colmariam allatum, germanico sermone scriptum fuisse affirmat Strobelius; antea vero codicem, latino sermone conscriptum, deperditum esse jamjam lugebat Billingius [4]. A creatione mundi ad annum 1400 narratio chronistæ perducta est, teste Luckio (de quo infra), qui excerpta ex eo Annalibus Rappolsteinensibus suis inseruit [5]. Sed ab anonymis plurimis usque ad recentiora tempora continuata est, quum textus res quasdam anno 1526

[1] Codex Parisiensis est in Bibliotheca Nationali, Mss. latina, nº 6030.

[2] De Imperio romano regis et Augusti creatione, inauguratione, administratione, officio et potestate, etc. libello duo Petri ad Andlo, canonici Columbariensis. Argentorati, typis Rihelianis, 1603, 1612, 4º. Et nuperrime Petri Hermanni nostri opus a Josepho Hurbino, Lucernensi, in periodico *Zeitschrift der Savigny-Stiftung* (XII, p. 34 ss.) denuo editum est.

[3] Trouillat, *Monuments de l'Évêché de Bâle*, V, p. 864. Cfr. Jos. Hurbinum, *Peter von Andlau, sein Leben und sein Wirken*, in periodico *Katholische Schweizerblætter*, 1894. Confusio quædam apud historicos Alsatiæ scriptores notanda est, quum de Petro ab Andlo tractant ejusque æqualem Georgium de Andlo, præpositum ecclesiæ cathedralis Basileensis, præpositumque Lutembacensem, anno 1466 jam defunctum, homonymo adjungant vel illos duos viros identificent. Cfr. Augustum Stœberum, *Les recteurs alsaciens de l'Université de Bâle* (*Revue d'Alsace*, 1879, p. 151 et 153).

[4] Strobel, *Geschichte des Elsasses*, III, 453 et Billingius in periodico *Der patriotische Elsæsser*, 1777, I. p. 225.

[5] Ludovicus Schneegans Petri excerpta in bibliotheca publica Argentinensi inter J. J. Luckii reliquias perlegisse videtur (*Revue d'Alsace*, 1852, p. 21).

gestas referens, nomine Hermanni Petri ab Andlo citetur[1]. Descripta fuerunt hæc fragmenta ex manuscripto cui titulus *Varia Rappolsteinensia*, quod ex archivis hujus illustrissimæ stirpis allatum, in scrinio districtus Alsatiæ superioris servatur, a Sigismundo Billingio quem supra laudavimus et cujus transcriptio, una cum omnibus Ignatii Chauffour, jurisconsulti peritissimi, codicibus bibliothecæ Colmariensi publicæ dono data est[2]. « Coronica quædam » insequitur, ejusdem Billingii manu inscripta : « Autor *videtur esse* Hermannus Petrus ab Andlo. » Sed quo jure Petri nomen huic textui præfixum sit, nescimus et valde in dubium vertenda est affirmatio Colmariensis eruditissimi concionatoris, tum quod illius sæculi jurisconsulti et professores rarissime vulgari utebantur sermone, tum etiam quod idem opus, multo tamen locupletiore textu, e Norimbergensi codice in lucem editum, Andlaviensi nostro haud attribuitur. Qua de causa recentissimus chronici editor, quum concederet illud a canonico quodam Colmariensi anonymo forsitan compilatum fuisse, Petro tamen ejus paternitatem omnino abnegandam judicat[3].

Itaque de Petri ab Andlo narratione historica pro certo nil habere possumus, nisi hoc unum, virum illum præclarum per secundam sæculi quinti decimi partem chronicon latinum scripsisse, cujus interitum superiore jam sæculo deplorabant eruditi et cujus ultima fragmenta cum Luckii excerptis vigesima quarta die mensis augusti 1870 incendio bibliothecarum Argentinensium perierunt.

c) *De Nicolao Amberg Lucellensi.*

Alius exstabat chronici compilator in Alsatia superiore exeunte prima parte sæculi quinti decimi, Nicolaus Amberg sive Amsig

[1] « *Uss einer Kronica Herman Peter von Andelow der heiligen geschrifft doctor; hats zamenbrocht in der stifft ze Colmar.* » J. Rathgeber, *Die Herrschaft Rappoltstein*, Strassburg, Trübner, 1874, p. 29-38.

[2] A. Walz, *Catalogue de la Bibliothèque J. Chauffour*, p. 152-153.

[3] Aug. Bernoulli, *Die ælteste deutsche Chronik von Colmar*, 1888, proœmium. (De qua vide supra, p. 23.)

(nomen enim ipsum in dubio relinquunt posteriores) Lucellensis, vicesimus sextus in serie præpositorum antiqui illius monasterii, qui dignitatem abbatialem anno 1443 suscepisse fertur. Aliquandiu etiam imperatoris Friderici III vice-cancellarius fuit, conciliique Basileensis sessionibus quum adesset ejus acta conscripsit, mox vero, partes mutans, tractatum apologeticum pro Eugenio papa contra concilii patres evulgavit. Vicesimo prælaturæ anno eum vitæ valedixisse commemorat Buchingerus, etsi ipse affirmat illum anno 1443 electum, anno 1467 emortuum esse[1]. Inter historica Nicolai opuscula in primis enumerentur annales Lucellensis monasterii, a fundatione ad annum 1448, quos sub titulo *Fasciculi antiquitatum Lucellensium* Nicolao V summo pontifici et imperatori Friderico III dedicavit[2]. Chronicon quoque diœcesis Basileensis et superioris Alsatiæ descripsisse dicitur; præstantissimum vero ejus opus fuit *Historia rerum memorabilium* quæ, ipso abbatiæ clavum tenente, in patriis finibus, ab anno 1443 ad annum 1467 per Alsatiam evenerunt, tum præsertim quum Ludovicus Delphinus franco-gallus eos fines iterum percurreret, « ubi particularia quædam commemorat quæ nullus temporum illorum author prodidit[3]. » De his omnibus, nescio quo fato iniquo, nihil ad nos nisi titulorum enumeratio in Bernardini Buchingeri epitome pervenit, quamvis credere liceat ex antecessoris scriptis Buchingerum ipsum materiam narrationum suarum sumpsisse. Historiæ rerum memorabilium codex, qui cum quibusdam aliis auctoris hujus scriptis in bibliotheca publica Argentinensi asservabatur[4], cum tot aliis manuscriptis anno 1870 igne consumptus est.

[1] Epitome fastorum Lucellensium, Bruntruti, 1667, in-16, p. 200.

[2] Scriptum fuisse anno 1450 dicit Buchingerus, *loc. cit.* Post illum Ludovicus Jæger, Brigantinus, vicesimus nonus abbas, res Lucellenses suo sub regimine gestas, de anno 1471 ad annum 1495 notavit, Theobaldus Hylweck, Thannensis, tricesimus abbas, annales prælaturæ suæ ab anno 1495 ad annum 1532, quo abbatiam resignavit.

[3] Buchinger, p. 201.

[4] Aufschlager, *Das Elsass* (Strassburg, 1825), I, p. 142. Quum autographon auctoris difficillime usque ad Argentinensium fines migrare potuerit, forte Ambergii textus adhuc in Helvetici monasterii bibliotheca quadam latet et sua die, ut Reinbolti Slechtii *Flores*, e tenebris emerget.

d) *De scriptoribus Belli Burgundici metricis.*

Tempori paulo recentiori adnumeranda sunt opera duo quæ, sive ea historica sive poetica appelles, ad studium profecto belli Burgundici alsaticis eruditis non parvo adjumento erunt et majore certe quidem fuissent nisi tanta documentorum mole ex archivis depromptorum quasi obruti essemus. Idcirco Caroli Burgundiæ ducis consilia nec non Petri de Hagenbach, landvogtii ejus, qui per Alsatiam superiorem omnium odium in se converterat, res gestas eruditi nostri accuratiore nunc stylo describere possunt quam si ex *Chronica versificata* anonyma *de Petro a Hagenbach* aut ex Erharti Tüsch *Historia de bello burgundico* sola narrationis elementa eis colligenda essent. Ea tamen hac in enumeratione fontium alsaticorum silentio prætermittere noluimus, quod re vera documenta historica appellari possunt, et præterea unica fere specimina sunt poematum historicorum (*Reimchroniken*) quæ in Alsatia nostra reperiuntur, quum in aliis Imperii romano-germanici territoriis, sæculo quinto decimo, multa inveniantur apud Austriacos, Belgas, maris Baltici finitimos, et alios complures.

Chronicon de Petro a Hagenbach anno circiter 1480 a poeta quodam in Germania inferiore nato, id quod e dialecti formis apparet[1] scriptum videtur, cui cives Brisaci urbis materiam poematis præbuerint aut quem ad hoc aggrediendum opus incitaverit Stehelin[2], civitatis princeps. Maxima chronici pars (centum quadraginta duo capitula) Petro de Hagenbach ipsi consecrata est, cujus facinora usque ad executionem Brisacensem (1474) fusius enarrat, triginta tribus vero ultimis capitulis bellum Burgundicum et tragœdia Nanceiensis enarrantur (1477). Codex poematis in archivo Brisiacensi occultabatur quum a quodam Matthia Hermanno ludimagistro,

[1] Cfr. exempla collecta ab editore, *Quellensammlung zur badischen Geschichte*, III, p. 256.

[2] Stehelin ille burgensium magister fortasse et ipse poematis auctor haberi potest. *Quellensammlung*, III, p. 255.

primum descriptus fuit anno 1555[1]; cujus exemplar post varia discrimina in manus Johannis Danielis Schœpflini, celeberrimi Argentoratensis historiographi venit et inter κειμήλια bibliothecæ publicæ Argentinensis servatum a Josepho Fridegario Mone in lucem editum et copiosis annotationibus ornatum est sexennio modo antequam flammis destrueretur[2]. Exemplar chronici alterum adhuc in Archivo Stuttgartensi exstat, sæculo septimo decimo in Alsatia descriptum, quod a Kienshemiano quodam cive Selestadiensi primum notario traditum, nescio quo tempore trans Rhenum migravit[3] et a Heinrico Schreiber, Friburgensi viro eruditissimo partim typis mandatum est[4].

Paulo anterius et narratione brevius est *Chronicon Burgundiacum historiale* Johannis Eberharti Tüsch, quod jam anno 1477 Argentorati impressum, duabus editionibus uno eodemque anno vulgatis edocet quam vehementer tragœdia illa animos omnium hominum illius ætatis permoverit[5]. Poeta nobis cæterum ignotus, sive eum cum recentissimis editoribus Tüsch vocare placebit[6], sive gentilicio nomine ejus, Erhartum eum, teste Hainio, designabimus[7], Alsaticus sane quidem homo et nescio an e Selestadiensi civitate ortus sit, quum eam urbem summis laudibus extollat[8].

[1] *Quellensammlung*, III, p. 250. Archetypus ipse nusquam, hoc a temporis momento citatus aut repertus est, nec mirum post tot oppugnationes et expugnationes urbis.

[2] *Quellensammlung*, III, p. 183-434, et pag. 681-684.

[3] *Quellensammlung*, III, p. 251.

[4] *Taschenbuch für Geschichte und Alterthum in Süddeutschland*, Freiburg, 1844, p. 316-340.

[5] Quarum una volumine in-quarto, altera xylographiis ornata rudibus in-folio, Argentorati a typographo non cognito edita, Mentelino tamen a quibusdam vindicata sunt.

[6] Inter quos Augustus Stœber nominandus qui cum Edmundo Wendling Selestadiensi tertia vice chronicon sub titulo *Die burgundische Hystorie*, eine Reimchronik von H. E. Tüsch, in periodico suo *Alsatia*, Milhusæ, 1877, typis mandavit.

[7] Hain, Repertorium bibliographicum, II, p. 320, nº 6664. Panzerus in additionibus Annalium pristinæ litteraturæ germanicæ significationem nominis Tüsch (= Germani) in dubio relinquit.

[8] *Alsatia*, p. 386.

Quorum chronicorum neutrum, nisi summa prudentia, historiarum scriptoribus ad res per Alsatiam tunc temporis gestas enarrandas adhibere fas est, quippe quorum auctores nimio sæpe odio vel Burgundici ducis, vel Hagenbachii dicta et acta insectentur atque falsa veris miscentes eorum famam, quamvis nullo modo bona fuerit, tamen, sive inscii, sive de industria valde detrectaverint [1].

e) *De quibusdam aliis chronicis deperditis.*

Etsi perpauca modo quinti decimi sæculi scripta historica ex tot Alsatiæ monasteriis et civitatibus ad nos pervenerunt, casu quodam — utrum felici an infelici dicam nescio — nonnullorum tamen auctorum nomina et fragmenta annalium deperditorum a recentioribus servata, testimonia nos afferunt his temporibus variarum provinciæ nostræ regionum incolas non omnino rudes aut historici studii expertes fuisse.

Johannes Cuspinianus solus auctor est vitam imperatoris Sigismundi in prima sæculi quinti decimi parte a domino de Plumeck in libro historiarum insigni scriptam esse; quæ « adhuc exstat in Alsatia, innumeras continens et jucundissimas historias ac facetias quas egit Sigismundus in juventute cum Argentinensibus mulieribus, quæ ejus semper gaudebant societate [2] ». Sed haud sane errabimus si auctorem, aliunde non cognitum, alsaticum fuisse negabimus quum nomen ejus slavonicam sapit originem et illius operis hac ratione modo mentio facienda est quod in Cuspiniani notitia alium narratiunculæ fontem a posteris ubique citatæ, de Sigismundi semi-nudi et discalceati perambulatione per plateas et vicos urbis cum fœminis Argentoratensibus patriciis reperimus.

In antiphonario Andlaviensis abbatiæ perantiquo, primis pergameni foliis calendarium inscriptum est cum notulis historicis ad

[1] Cfr. ad hoc doctissimum Caroli Nerlingeri opusculum *Pierre de Hagenbach et la domination bourguignonne en Alsace* (1469-1474). Nancy, Berger-Levrault, 1890, 8°.

[2] Joh. Cuspiniani de Cæsaribus atque imperatoribus romanis opus insigne. Argentorati, apud Cratonem Mylium, 1540, in-folio, p. 601.

annos 1422-1477 quas Carolus Deharbe venerabilis illius loci parochus in lucem edidit[1].

Ensisheimianum Chronicon quod, etsi mutilum, tamen dignissimum erat cui studeretur, in bibliotheca publica Argentinensi asservatum, per secundam saltem sæculi partem a diversis auctoribus, fortasse Magistratus jussu et auctoritate, compilatum fuit[2]. Verisimile est, et ex Sigismundi Billingii notis conjecturari potest, id Kœnigshovii chronico conformatum et partim ex canonici Thomani narratione decerptum esse, quum vitæ summorum pontificum operis initium facerent. Sequebantur nonnulla præsertim ad Argentinensem historiam pertinentia, quæ etiam Kœnigshovio tribui possunt, tum et de Alsatia superiore plurima et in specie de bellis Milhusanorum cum vicinis. Argentinensi codice in obsidione civitatis destructo, de chronico Ensisheimiano vix quidquam dici posset, nisi Sigismundus Billing, Colmariensis, superiori sæculo fragmenta quædam e chronici textu ab anno 1471 ad annum 1527 excerpsisset[4], quæ Augustus Stœber, bibliothecarius Milhusinus nuper publici juris fecit[5]. Ejus quoque notationibus nomina Heinrici Bentz, pistoris, Petri Wagner et Jacobi Schultheiss, clerici, oblivioni erepta sunt, qui successive, usque ad annum 1528, historiam patriam chronico nostro consignaverant[6].

Paulo recentior fuit Heinricus Elten, monasterii Marbacensis prior († 1522) qui anno 1502 notitiam de fatis cœnobii sui

[1] *Sainte Richarde, son abbaye d'Andlau*, Paris, Renou, 1874, 8°, p. 169-172.

[2] Anno 1459 inchoata est, teste Billingio (Walz, *Catalogue Chauffour*, p. 165).

[3] Excerpta illa in Colmariensi bibliotheca (Collection Chauffour, Mss. 110) nunc custodiuntur.

[4] *Alsatia*, Mulhausen, 1874, p. 281-298.

[5] Quum hic, anno 1420 circiter natus, anno 1460 vexillifer Ensisheimianus a civibus creatus sit, chronici initium auctoribus coævum et publico quasi munere compilatum fuisse credere licet.

[6] E codice Argentinensi Joh. Andreas Silbermann quædam excerpsit (*Historische Merkwürdigkeiten des Elsasses*, p. 164-165) et ex ejus manuscriptis Ludovicus Schneegans nostro quidem tempore, quæ periodico *Elsæssisches Samstagsblatt* (1857, n° 5) inseruit, deprompsit, quum nesciret num autographon chronici, quod in Argentinensi bibliotheca latebat, adhuc superesset.

conscripsit quæ Philippo Andreæ Grandidier adhuc usui erat, nunc vero deperdita [1].

Hoc loco denique et *Annales Discalceatorum Argentinensium* commemorandi sunt, quos frater Martinus Stauffenberger, monasterii œconomus, ineunte sæculo sexto decimo exaravit [2]. Ex his fragmentum, annos 1507-1510 complectens, sæculo sequenti excerptum et ad hodiernam diem ineditum, mihi in manibus est, quod hoc jam anno in *Annuario Societatis ad monumenta Alsatiæ historica conservanda fundatæ* in lucem edere mihi propositum est. Parvi sane quidem momenti illa fragmenta sunt si res universam per Alsatiam tunc temporis gestas ex illis illustrare volueris, sed ad melius cognoscendum civitatis Argentinensis clerum regularem non omnino inutilia videntur [3].

§ 13. De Jacobo Wimphelingio nec non de humanistis alsaticis minoribus prout historico studio incubuerunt.

Ad scriptores si non loco aut tempore, attamen mente et methodo studiorum omnino dissimiles transeuntes, ex annalistarum cœtu ad viros summa laude ornandos pergimus qui humanioribus studiis, exeunte sæculo quinto decimo et per triginta primos sequentis sæculi annos in Alsatia operam navarunt. Qui, etsi præsertim antiquitatis scriptores, philosophiam moralem et adolescentiæ educationem colebant tamen et interdum historicis sese dederunt laboribus.

Inter quos facile princeps designandus est, sive antesignanus, Jacobus Wimphelingius, Selestadii, vigesima quinta die mensis

[1] Aloys Schulte, *Elsæssische Annalistik*, *op. cit.*, p. 528.

[2] Et hic codex in bibliotheca Argentinensi asservabatur unaque cum ceteris periit, teste Andrea Jung, doctissimo bibliothecario civitatis. (*Beitræge zur Reformationsgeschichte*, II, p. 249.)

[3] Annalium textus, sæculo XVII ineunte ex autographo descriptus, bibliothecæ Civitatis Argentinensis novæ nuperrime dono datus est.

julii anno 1450 natus. Postquam patriæ scholam jam illustrem, et tunc temporis a Ludovico Dringenberg habitam absolvisset, Friburgensium Universitati anno 1465 immatriculatus, mox Erphordiam migravit, postea Heidelbergam concessit, ubi anno 1481 Universitatis rector fuit et, baccalaureato S. Scripturæ suscepto, Spiram, concionator ecclesiæ cathedralis, paulo post vocatus est. Quem Heidelbergæ in professura poetica et theologica versantem tantum vitæ tædium corripuit, ut in solitudines Silvæ Nigræ fugere constitueret; sed a Geilero Kaysersbergensi, oratore celeberrimo, a consilio illo deterritus, Argentinæ per longos annos in Guillelmitarum monasterio vitam placidam egit ibique totus studiis carissimis incumbens, cum Johanne Geilero, Sebastiano Brantio, Thoma Wolffio, aliis, amicitiæ jucundum commercium instituit. Quum Geilerus anno 1510 e vita decessisset, ipse morbo et senectute afflictus, Selestadium redux apud sororem viduam vitam finivit et fatigatus tantis exortis cum monachis controversiis, nec minus irrumpente Reformationis tumultu territus, pæne octogenarius die septima decima mensis novembris anno 1528 obiit [1].

De innumeris Wimphelingii operibus, ne raptim quidem verba facere hic locus est et satis erit breviter de doctissimi viri Selestadiensis voluminibus, quæ historicas quæstiones tractant disseruisse. Inter quæ celeberrimum est, etsi minus eruditione ornatum opusculum illud *Germania*, anno 1501 in lucem editum [2]. His in

[1] A multis scriptoribus tractata est Wimphelingii vita; cfr. Riegger, *Amœnitates litterariæ Friburgenses.* Ulmæ, 1775, 8°. — Paul von Wiskowatoff, *Jacob Wimpheling, sein Leben und seine Schriften*, Berlin, 1867, 8°. — B. Schwarz, *Jacob Wimpheling*, Gotha, 1875, 8°. — Omnibus anteponenda sunt capitula Caroli Schmidtii, in egregio opere *Histoire littéraire de l'Alsace à la fin du XVe et au commencement du XVIe siècle.* Paris, 1879, I, p. 1-190.

[2] Jacobi Wimphelingii Germania ad rempublicam Argentinensem. Impressum per industriam Johannis Prüsz, 13. Kalend. Januarii 1501, 4°. — Una cum Murneri *Germania nova* de qua duo solum exemplaria e destructione opusculi servata sunt (quorum unum nuperrime, pretio mille marcarum, apud Carolum Trubnerum Argentinensem bibliopolam venale offerebatur), Wimphelingii *Germania* partim a Carolo Schmidt, Genevæ, mense julio 1874 apud inclytum typographum, Julium Guillelmum Fick, recusa est. Teutonicam versionem cum amplis commentariis evulgavit Ernestus Martin (Strassburg, Trubner, 1885, 8°).

pagellis præsertim Argentinensem magistratum ad creandam scholam latinam superiorem incitare cupiens, « Germaniæ pædagogus » — sic eum coævi vocabant — Academiæ futuræ formam et statuta aptissime exponebat; in prima vero libelli parte Alsatiam, inde a Romanorum temporibus, Germanorum fuisse demonstrat, quum Tribocci, Vangiones, Nemetæque teutonicæ stirpis fuerint, quum Pipinus brevis et Carolus magnus Germani, non Galli haberi debeant, lilium monetæ Argentinensis nullo modo ex Francorum regum liliis originem ducat, aliaque ejusdem generis argumenta allegans. Simul etiam reipublicæ cives acerbissimis verbis increpans semi-gallos vocat, qui, si Wimphelingii querelis credas, illo jam sæculo fallacibus promissis a Franco-Gallis alliciebantur. Ita factum est ut ex ejus *Germania* prima controversia oreretur de vi illa, sive ex situ locorum et affinitate gentis sive ex animorum cognatione nata, quæ Alsatiæ incolas ad vicinas gentes attrahit : quæ controversia ad hoc temporis continuatur. Monachus enim e claustro Prædicatorum Argentinensi, Thomas Murnerus, poeta satyricus postea celeberrimus, ut Wimphelingii chartam refelleret, *Germaniam novam* scripsit, qua illius argumentis argumenta, si dicere licet, eruditionis jam minoris opposuit; quo tamen scripto senatus Argentinensis civitatis, statum rerum publicarum intuens, tanta ira affectus est ut gravissimis pœnis prohibuerit quominus opusculum Murneri venumdaretur, juberetque exemplaria omnia jam excussa deleri. Nihilominus controversia inter ambos scriptores porro tractata est, nam et Wimphelingius ipse Murnero in *Declaratione ad mitigandum adversarium* respondit[1] et discipuli ejus in *Defensione Germaniæ Jacobi Wimphelingii* adversarium gravissimis conviciis insectati sunt, etsi caute declaraverat monachus Argentinensis se ad scribendum opusculum non Francigenarum favore inductum

[1] Declaratio Jacobi Wympfelingii ad mitigandum adversarium. Sine loco nec dato (Argentorati, 1502), in-4°. — Defensio Germaniæ Jacobi Wympfelingii quam frater Thomas Murner impugnavit. Epistola Thomæ Wolfii junioris, etc. Friburgi, 1502, in-4°. Et Conradus Peutinger, Norimbergensis, in *Sermonibus convivialibus de mirandis Germaniæ antiquitatibus*, Argentinæ anno 1506 editis, ibidemque anno 1530 recusis, huic controversiæ sese involvit.

esse, « quia et illud moris non est apud Alemannos Gallis favere, in tantum ut domini nostri constituantur. »

Nonnullis annis postea, Wimphelingius in lucem produxit *Epitomen rerum germanicarum* quo teutonicæ juventuti inde ab originibus res maximas a majoribus gestas ante oculos ponebat, quod opus ob merita non magis quam ob vitia dignissimum est cui animum intendas[1]. Si et critico ingenio caret Jacobus noster et deest ei etiam ars componendi, honesta tamen cupido erudiendi et emendandi ubique apparet. Ceterum non ab ipso Wimphelingio materiem *Epitomes* congestam fuisse eumque nihil nisi Sebastiani Murrhonis, Colmariensis amici, opus morte interruptum ad finem duxisse, novimus. Fontibus ipsis raro quidem perlustratis, ex auctoribus hujus ætatis recentioribus, Johanne Baptista Platina, Aenea Silvio, Flavio Blondo, Roberto Gaguino, etc., ea quæ sibi necessaria viderentur excerpsit epitomator ille qui Imperio Sanctæque Sedis Romanæ devotissimus[2], eis autem qui Gallis Helvetiisque familiariter utebantur, inimicissimus erat[3]. Is tamen inter primos illius aevi notandus est qui patriæ historiæ studium juventuti et majori lectorum cœtui facilius reddiderunt, et quanquam inter coævos nonnullos invenimus scientia ei præcellentes, Beatum dico Rhenanum, Willibaldum Pirckheimerum et alios, nihilominus in eo laudanda est illa voluntas qua, difficultatibus incepti laboris superatis, Alsatiæ suæ in capitulis compluribus operis monumentum pietatis et observantiæ posuit.

Anno 1508, tertium opusculum prelo subjecit historicum, et maxime probatum, *Argentinensium Episcoporum catalogum*[4]. In quo

[1] Epithome rerum germanicarum usque ad nostra tempora. Argentinæ, Joh. Prüsz, anno 1505, quarto idus martii, in-4°. Recusum est in collectione Scriptorum rerum germanicarum a Simone Schardio (Basileæ, Heerwag, 1574, fol.) et ultra.

[2] Hac ex causa de conflictu inter Henricum IV imperatorem et Gregorium VII papam acerbissimo ne verbum quidem facit.

[3] Wimphelingii Epitomen vocat F. Xaverius Wegele « *eine nationale Tendenzschrift* » (*Geschichte der deutschen Historiographie*, p. 126).

[4] Argentinensium Episcoporum Cathalogus cum eorumdem vita atque certis historiis. Argentorati, Grueninger, 1508, 4°. — Recusus est Catalogus studio Johannis Michaelis Moscherosch, Argentinæ, anno 1651 et 1660.

quum arctius propositum amplecteretur et majore studio fontes perscrutaretur, utilius confecit pro tempore volumen, eruditionis non spernendæ plenum. Ecclesiarum enim cathedralis et Sancti Thomæ archiva perlustraverat et Annalibus Argentinensibus, nunc deperditis, usus erat. Etsi ei diœcesis origines e multiplici contextu rerum fictarum evolvere non licuit, et magna ex parte Erckenbaldi catalogum, Kœnigshoviique narrationem secutus est, prudenter in primis opusculi capitulis certa tempora inscribere recusat, quum sibi non probata sint et quod « parum referre videtur quoto quisque anno mortem obierit aut quot annis sedi huic præfuerit, dummodo de vitæ et morum rerumque aliarum gestarum statu ab ipsa comperta veritate non deviemus[1]. » Narrationem duxit Wimphelingius usque ad annum millesimum quingentesimum septimum et episcoporum recentiorum non minus quam antiquiorum vitia, ubi locus est, pari severitate condemnat[2].

Cætera jam Selestadiensis nostri opuscula, licet in iis quoque nonnulla ad Alsaticam historiam pertinentia colligere possimus, in medio relinquamus. Inter discipulos ejus, Sebastiani Murr — Murrho a magistro denominatus est — jam supra mentionem fecimus, qui Colmariæ natus, quum in Basileensi Universitate artium magistri gradum anno 1471 impetrasset, in urbem patriam reversus ibidem canonicus ecclesiæ S. Martini vixit et anno 1495 obiit diem supremum[3]. Is, pro tempore vir doctissimus, historico studio sese applicuit et opusculum *De virtutibus et magnificentia Germanorum* scripsit, quod nunquam in lucem prodiit. Mathias Ringmann, Philesius dictus, qui carmen de ipso Vogeso anno 1506 conscripsit, Alsatiæ brevem et non injucundam topographicam descriptionem lectori præbuit[4] et primus Julii Cæsaris Commen-

[1] Catalogus, ed. Moscherosch, 1660, p. 8. De supplemento a Moscheroschio in titulo opusculi promisso aut de notis ejus nihil in libello reperitur.

[2] Finem labori imposuit, sedente Guillelmo III de Honstein.

[3] De Murrhone cfr. Carolum Schmidt, *Histoire littéraire*, I, p. 36-39.

[4] Inest Philesii carmen opusculo perraro Michaelis Coccinii Tubingensis *De imperii a Græcis ad Germanos translatione*, Argentinæ, Grueninger, 1506, 4°. Cfr. Schmidt, *op. cit.*, II, p. 105.

tarios vulgari sermone vertit[1], neque dubium est quin et aliis historicis scriptis nomen sibi fecisset nisi mors præmatura eum jam anno 1511 abripuisset. Discipulum Wimphelingio carissimum, Thomam Wolphium juniorem, his quoque præsertim studiis se dedisse ex præceptoris verbis intelligimus, quum ille affirmet chronicon de rebus gestisque nostratibus ab ipso Argentinensium exordio, optante Johanne Kaysersbergensi, probatissimo atque facundissimo theologo et Christo favente a Wolphio inceptum esse[2]. Sed vix trigesimum secundum annum agens, perniciosa febri correptus subito Romæ anno 1509 e vita evasit neque quidquam de hoc chronico servatum est[3].

Johannem denique Adolphum Muling, seu Mulichium, Argentoratensem, his adnumerare liceat, qui etsi historiæ provinciæ re vera non studuit, tamen quod operibus historicis vulgari sermone descriptis apud cives omnium ordinum per Alsatiam studium rerum cognoscendarum quas majores gesserant excitavit, historiographiæ auctæ laudem tulit aliquam[4].

§ 14. **De Sebastiano Brant.**

Inter Alsaticos humanistas qui historiarum studio incubuerunt Sebastianus etiam Brant commemorandus, poeta *Stultiferæ navis*

[1] *Julius der erst rœmisch Keiser, von seinen Kriegen erstmals uss dem latin in tuetsch bracht.* Strassburg, Grueninger, 1507, fol.

[2] Catalogus episcoporum, p. 123.

[3] Idem primus inter eruditos Alsaticos antiquitates e patrio solo romanas effodit et antiquarum inscriptionum collectionem incepit; de qua vide Caroli Schmidtii dissertationem in periodico *Bulletin des monuments historiques d'Alsace*, 1876, pag. 156 ss.

[4] Circiter anno 1450 natus, anno 1514 archiater civitatis Schaffhusiensis in Helvetorum finibus creatus est, sed ab anno 1522 de eo nullum repertum est vestigium. Cfr. Schmidt, II, p. 133 ss. Inter ejus opera præsertim nominanda sunt: *Historia von Rhodis* (Strassburg, Flach, 1513, fol.), versionem germanicam narrationis Guillelmi Caoursini de obsidione Rhodensi anno 1512 facta; *Die Türckisch Chronica* (Strassburg, Flach, 1513, fol.); *Barbarossa, ein wahrhafftige beschreibung des lebens Keiser Friedrichs* (Strasburg, Grueninger, 1520, fol.), ex Chronico Urspergensi et Nauclero compilata, quæ omnia, xylographiis pulcherrimis ornata, nostro tempore ab iis qui talibus rebus student, valde appetuntur.

suo tempore celeberrimus et a posteris satis laudatus qui ad musas simul et jurisprudentiam, negotia publica et rerum antea gestarum memoriam, etsi non pari modo, vires ingeniumque contulit.

Is, Argentorati natus anno 1457, patre Thiebalto caupone, matre Barbara Picker, anno 1475 ad Basileensem Universitatem abiit eademque in urbe per viginti quinque fere annos et jurisconsultus et professor eruditis studiis et poeticis laboribus addictus magnam sibi famam paravit, præsertim quum *Navem fatuorum* anno 1494 evulgavisset. Anno 1500 in patriam revocatus a senatu Argentoratensi secretarius et syndicus reipublicæ creatus est, quo officio ad diem supremam (10 maji anno 1521) summa cum laude civium functus est[1].

Sebastianum Brant *Chronicon* scripsisse constat et ex ipsius testimonio[2] et ex protocollis Consilii secreti[3], nec non ex Hedionis verbis qui *Chronico universali* suo topographiam Germaniæ brevem quam Brantio tribuit, apposuit[4]. Neque tamen existimare licet hæc quadraginta septem folia ullum in Brantii chronico locum, nisi forte introductorium, tenuisse, quum de historia vel imperii romano-germanici vel Alsatiæ fere nihil in iis relatum sit. Opus ipsum, teste Clussrathio Argentinensi, qui in prima septimi decimi sæculi parte civitatis archivarius fuit, suo jam tempore

[1] De Sebastiani Brantii vita et scriptis vide Carolum Schmidt, *Histoire littéraire*, I, p. 191 ss.

[2] In narratione de Guillelmi episcopi ad Argentinenses introïtu (fol. 29a) dicit, ut exemplo utar : « Vide in Memoriali (protocollis) *et in chronica nostra* » (*Code diplomatique*, I, 2, p. 69).

[3] « Item *der Chronicken halb so Dr Brand gemacht, sollen beyde meister mit der fründschafft reden, die Meinen Herren zu handen stellen.* » Dacheux, *Fragments*, III, p. 245.

[4] Gasparus Hedio in « *Ein ausserlesene Chronick*... (Strassburg, Craft Myler, 1539, fol. p. 731-778) cum præfatione Hedionis ad Mathiam Pfarrer, consulem, Brantii generum : « *Eyn Chronick über Deutschland, zuvor des landts Elsasz und der loblichen statt Strassburg durch Sebastianum Brant versamlet.* » — De qua Germaniæ descriptione a Sebastiano Brantio conscripta nuperrime disseruit doctissimus Conradus Varrentrapp, in periodico *Zeitschrift für Gesch. des Oberrheins*, N. F., (Karlsruhe, 1896) tom. IX, p. 288.

deperditum erat[1] et quum præter titulum de chronico nullam relationem aut fragmentum habeamus, ne chronologicus ordo quidem narrationis constitui potest, quamvis quidam affirment[2] syndicum nostrum res suo tempore gestas, nullo testimonio allato, tradidisse.

Sebastiano eidem communi consensu attributum est opusculum[3] vernaculo sermone conscriptum quod ex archivo civitatis a Ludovico Schnéegans erutum et in *Codice diplomatico* suo vulgatum est[4], *Solemnis* scilicet *electio nec non introïtus Guillelmi de Honstein*, Argentoratensis episcopi, quo hæc duo facta de annis 1506 et 1507 fusius enarrantur et ubi nonnullæ passim sententiæ acutissimi ingenii auctorem *Stultiferæ navis* prodere videntur.

Alio tamen argumento, eoque graviore adducimur ut in historicorum numerum Brantium recipiamus. Fuit enim illi consuetudo memoriam omnium rerum a se in officio gestarum, aut quæ suo tempore publico jure factæ sunt, notitiis extemporaneis in tabulis servare suis, quas *Memorabilia* sive teutonico verbo *Gedæchtnissbuechel* vocabat. Id memoriale post syndici mortem in archivo reipublicæ secreto depositum, a successoribus plus minusve apte continuatum est, donec sæculo XVII. Jacobus Wenckerus sub titulo *Annalium Brantii* has e diariis Magistratus et protocollis Consilii supremi excerptas notulas collegit et duobus exemplaribus describendas curavit[5]. Autographi Brantii et successorum jam proximo sæculo evanuerant, Wenckerii vero exemplaria ad annum 1870 usque, Brantii sub nomine quamvis partim erroneo, plerumque citabantur, antequam flammis consumpta sunt. E col-

[1] In *Collectaneis* suis in archivo Argentinensi adhuc servatis, Clussrathius, expressis verbis de Brantii Chronico scripsit: « *Wo die mag hinkommen sein?* »

[2] Wegele, *op. cit.*, p. 124.

[3] Jam Clussrathius relationi anonymæ notam apposuit « *authore Dr Branden seeligen, wie ich anders nit befind* ». Cfr. etiam Ludovici Schneegansii notitiam in *Codice diplomatico*, II, 2, p. 65-70.

[4] « *Bischoff Wilhelms von Hœnsteins waal und einritt anno 1506 et 1507* » in *Codice diplomatico*, I, 2, p. 239-299.

[5] Exstabat codex unus in Bibliotheca Seminarii protestantium « Extractus ex prothocollis Dominorum XXI ab anno 1503 ad annum 1682, præmissis aliquot vetustioribus nec non quibusdam ex annalibus Sebast. Brandii, auctore Jacobo Wenckero.

lectaneis quibusdam Timothei Guillelmi Rœhrich, Eduardi Cunitz aliorumque manuscriptis primum nuper *Annalium* spicilegium Leo Dacheux vir doctissimus edidit[1] et nuperrime multo majorem fragmentorum seriem e reliquiis Andreæ Jung, eximii Argentoratensis bibliothecarii prolatam in novam civitatis Argentinensis bibliothecam recipere mihi contigit. Quibus de anno 1518 ad annum 1538 permulta facta, quorum pars prior fortasse a Brantio ipso e consiliorum protocollis collecta fuit, et quæ omnino ante hoc tempus deperdita videbantur, nobis restituta sunt[2].

§ 15. **De Hieronymo Guebwyler.**

Natus est doctus ille ludimagister Argentinensis et catholicæ fidei defensor acerrimus, circiter anno 1473, in quodam Alsatiæ superioris oppido, sive Argentovariæ sive Cæsaromontii. Studiis academicis primum Basileæ, tum ab anno 1492, Parisiis incubuit; denique in patriam reversus scholæ Selestadiensi celeberrimæ, post Cratonis Hoffmanni obitum, anno 1501 præfuit. Octo annis post Argentoratum migravit ibique, magna cum civium laude scholam latinam apud ecclesiam S. Mariæ Virginis cathedralem, ad annum usque 1525 direxit. Quum vero reipublicæ magistratus magis atque magis ad novas doctrinas inclinaret, Guebwylerus Haganoam secessit novamque scholam instituit. Vicesimo primo die mensis junii 1545 septuagesimum annum agens e vita decessit et in S. Georgii cœmeterio sepultus est ubi epitaphium latinum historiarum monumenta ab eo derelicta, ducum Austriæ, Alsatiæ patriæ urbisque Argentoratensis antiquitates illustrantia enumerabat[3].

[1] Velut candide Johannes Friese codicem syndici anno 1521 defuncti ad annum 1682 citat : « *Siehe Brand's Annalen der Stadt Strassburg bei dem Jahre 1682.* » (*Vaterlændische Geschichte*, III, p. 278.)

[2] Protocolla enim ipsa Consiliorum secretorum reipublicæ usque ad sæculi sexti decimi finem seu archivariorum negligentia, seu cancellariæ incendio, anno 1686, seu vastatione curiæ Senatus anno 1789, deperdita sunt.

[3] Crusii Annales Suevici, II, fol. 825.

Guebwyleri scripta eadem fere mente qua Wimphelingii opuscula inflata atque simili et politica et pædagogica ratione imbuta, magis tamen ad Habsburgicæ stirpis gloriam tendunt. E quibus illa tantum hic enumeranda sunt quæ ad historiam provinciæ nostræ pertinent[1]. Et inter hæc opuscula primo loco nominanda est *Libertas Germaniæ* qua Germanos Gallis, neminem vero Gallum post Christum natum Germanis imperasse « certissimis classicorum eruditorum testimoniis » docetur[2]. Dissertatio est, ut ex ipso titulo apparet, polemica, aeque ac Wimphelingii Murnerique opuscula quæ supra nominavimus et re vera potius ad controversiam politicam quam ad historiam propriam spectat.

Paulo post aliud in lucem produxit opusculum, *Panegyrim Carolinam,* elegiacum carmen, adjunctis scholiis, continens[3]. Carmen ad divi Nicolaï festum a Guebwylero nostro compositum est, « animi laxandi gratia » juventutis literariæ Argentinensis. Adhortatur in eo Alsatos ut pacem, concordiam, unanimitatem Germaniæ et toti orbi restituant ; scholia quoque addidit aliquot quibus Alsatiam, torrentes et fluvios ejus, Argentoratum, Vosagum montem describebat et veram Habsburgensium principum originem edocebat. Versus quidem latini sunt mediocres, magis vero mediocris ars auctoris critica habenda est, quum, ut exemplum adhibeam, Alsatiam Aeduorum coloniam fuisse, ex nomine civitatis Alseti apud Aeduos demonstret (p. 12). Caroli Quinti panegyricum carmen quasi introductio ad topographiam Alsatiæ est, in qua et soli patrii incrementa, humanissimi incolæ, hilaria convivia laudantur et civitas Argentoratensis prædicatur. Respublica describitur, extollitur fidelis in Imperium romano-germanicum amor et ejus conversio ad fidem christianam ; tum et templa, cœnobia, xenodochia, orphanotropheia enumerantur. Dicatum est opusculum

[1] De cæteris vide Carolum Schmidt, *Histoire littéraire*, II, p. 165-172.

[2] Argentorati apud Joannem Scotum, 1519, 21 folia in-4°.

[3] Argentinæ apud Joannem Prusz, 1521, 4°. Sequenti sæculo, cura Joh. Philippi Mulbii iterum excusum est Argentorati, 1644, 52 fol. in-4°.

domino Johanni Hannart, vicecomiti de Lombeco, Sacræ Cæsareæ Majestatis secretario [1].

Tertium Guebwyleri opusculum ejusdem fere generis est : *Epitome regii ac vetustissimi ortus Sacræ Cæsareæ atque Catholicæ Majestatis, etc.*, Argentinæ apud Johannem Gryeninger primum anno 1527 editum et eadem in officina eodemque anno teutonico sermone vulgatum [2], tum vero Haganoæ typis Johannis Secerii anno 1530 iterum in lucem provectum cum figuris xylographicis per textum disseminatis. Hoc quoque scripsit ludi magister ut occasione uteretur, nempe ut Caroli V et fratris ejus, Ferdinandi, gratiam sibi pararet. Primordium sane quidem Habsburgici Chronici fecit ob quod a coævis et posterioribus sæpe commemoratur [3], idque per plurimos libros distribuit, miris vero ineptiis redundat quum Habsburgenses principes non solum ab Adamo et Noë sed etiam ab Osiri et Hercule originem duxisse doceat.

Antea etiam beatæ virginis Ottiliæ, Hohenburgensis abbatissæ, vitam germanice conscripserat, nullo modo criticam, hodieque rarissimam, quæ anno 1598 a Johanne Schuttenheimer, parochiæ Sancti Naboris vicario, Friburgo Brisgoviorum iterum prelo mandata est [4].

Fecundus ille et facundus ludimoderator chronicas quoque urbium, ubi diutius pueros edocuit scripsisse jamdudum affirmabatur, et nuper vir doctissimus, Josephus Gény, bibliothecæ Selestadiensi præpositus, e manuscriptis Jacobi Frey, hujus civitatis consulis (de quo infra dicemus) relationem Hieronymi nostri de Selestadii primordiis et regimine publicavit [5]. Quod fragmentum

[1] Scholia quoque philologica valde sunt puerilia (ex. gratia : leo = animal ferox; mares = masculini sexus, etc.)

[2] Habet 61 folia in-4°, cum figuris; editio Seceriana 103 folia.

[3] Sic Bebelius in *Antiquitatibus sacris* manuscriptum Guebwyleranum sæpe allegat, pag. 35, 62, 72, etc.

[4] *Eine schœne wahrhaffte und hiebevor ungehœrte Historie dess fürstlichen Stammes und Herkommens der heiligen Jungkfrawen Ottilien, irer Eltern, u. s. w.* Strassburg, 1521, in-4°.

[5] *Schlettstadter Chronik des Schulmeisters Hieronymus Gebwiler*, herausgegeben von J. Gény, Schlettstadt, Marschal, 1890, 8°.

circiter anno 1530 conscriptum esse hinc apparet quod de Wimphelingio († 1528) ut jam emortuo, de Beato autem Rhenano († 1547) ut adhuc inter vivos permanente loquitur. Non tamen magnopere dolendum est opus partim deperditum esse, quum certe novi et incogniti nihil in parte nobis servata reperiatur, nisi forte aliquot de civitatis topologia notitiæ et demonstratio inimicitiæ auctoris nostri in lutheranos. Hanc Chronicam Guebwylerus Haganoæ descripsit, sed antea jam, dum Argentorati degebat, etiam hujus civitatis chronicon consarcinavit, testibus Clussrathio[1] et Annalium Brantianorum compilatore[2]. Quod in archivo reipublicæ olim asservatum fuisse inde judicari potest quod a Jacobo Wenckero archivario commemoratur[3]. Fortasse sæculo nostro cum multis aliis codicibus ad bibliothecam publicam translatum est; quoniam enim in archivo desideratur et Timotheus Guillelmus Rœhrich in manuscripto suo, *Alsatia catholica litterata*, ad vocem Werinheri episcopi Argentinensis fragmentum chronicæ servavit[4], conjecturæ locus sit et hunc codicem anno 1870 incendio consumptum esse. Rusticorum denique seditionem anni 1525 Guebwylerum conscripsisse vel describendi initium fecisse constat, cui jam titulum *Gigantomachiæ Alsaticæ* dederat; ea vero, prout nobis elucidare contigit, nunquam publicata est, seu quod mors præmatura in ipso opere intervenit, seu quod propter opiniones ejus editor operi confecto defuit, si quidem reformationem ecclesiæ agricolarumque excessus quasi intimo nexu conjunctos simul incriminare tentavit[5].

[1] «*Circa 1521 hat Hieronymus Gebwilerius eine Strassburger Chronik verfertigt davon das Autograph auf dem Archiv seyn soll.*» Clusrathii Collectanea.

[2] «*Chronick die Mag. Jheronimus der schulmeister gemacht, 1523.*» (Dacheux; *Fragments*, III, p. 245.)

[3] In dissertatione *Von Ussburgern*, p. 190.

[4] Timotheus Rœhrich *caput quartum libri tertii* chronici manuscripti allegat.

[5] De Guebwylero et ejus scriptis confer etiam Dorlan, *Revue d'Alsace*, 1855, fol. 392-401

§ 16. De Beato Rhenano.

Antecessoribus valde dissimilis, tam amore scientiarum quam critica arte primorum patriæ temporum inquirendorum inter coævos eminet eruditos Beatus Bild, cui, quanquam Selestadiensis erat, pater ex oppidulo Rhinavio ortus, cognomen illud Rhenani, quo designari solet, transmisit. Anno 1485 natus, juvenis in patriis extraneisque academiis studiis historicis et philologicis tantam operam dedit ut jam anno 1508 apud Grieningerum Argentinensem Henrici quarti bellum contra Saxones heroïco carmine descriptum in lucem proferret. Paulo post (anno 1515) in Murbacensi monasterio codicem, etsi mancum, Velleji Paterculi tamen unicum, repertum Basileæ apud Frobenium edidit, itemque auctores alios quam plurimos, de quibus hic non est locus dicere quia non philologi aptissimi et felicissimi sed modo historici scriptoris enumeranda sunt hoc paragrapho opera. Is etsi Alsatiæ fines non speciali dissertatione illustrat, tamen de provinciæ natalis primordiis et antiquitatibus doctissime tractat in volumine suo, quod inscribitur *Rerum germanicarum libri tres*, cujus editio prima anno 1531 apud Frobenium Basileæ publicata est[1], quum Beatus jam ex illa Helvetiæ civitate ad Selestadienses rediisset ubi sanctam doctamque vitam ab anno 1526 ad annum 1547 egit. Quum illo tempore ægritudinis causa Argentoratum sese contulisset, morbo subito ingravescente, hac in urbe undevicesima die maji e vita decessit[2].

In illo quod supra diximus opere Ferdinando Hungariæ regi

[1] Editio prima 194 paginas habet, secunda vero, cui præmissa est Vita Beati Rhenani a Johanne Sturmio eleganter conscripta, et ibidem anno 1551 edita, folia 206 habet. Sequenti sæculo apud Lazarum Zetzner Argentorati iterum prelo subjectum est opus (1600, 748 paginis in-18) et exeunte sæculo septimo decimo quarta vice cum commentariis Jacobi Ottonis uberrimis Ulmæ recusum est (Libri tres institutionum, rerum germanicarum novo-antiquarum, historico-geographicarum, etc. apud G. W. Kühn, 1693, 659 pag. in-4°).

[2] De Beato Rhenano vide Carolum Hartfelder in *Allgemeine deutsche Biographie*, tom. 28, p. 383, et Adalbertum Horawitz in *Sitzungsberichte der Wiener Akademie* (1872, p. 325-362), quorum alter et epistolas omnes a Beato Rhenano et ad eum scriptas collegit doctissimoque commentario ornavit.

dicato sagax exstitit Beatus Rhenanus textuum classicorum interpres et antiquitatis vestigiorum nomenclator. Primo libro res Germaniæ et romanas et barbaras ad Tolbiacam cladem exponens, secundo autem de Francis, Burgundionibus cæterisque per Galliam Germaniamve degentibus populis teutonicis verba facit. Liber tertius descriptionem tractuum Helvetiæ Alsatiæque amplectitur et in specie locorum prope Selestadium sitorum, topographiam quidem natalis soli satis accuratam, adjectis historicis notulis quæ partim ad auctoris tempora pertinent[1]. Etsi Beati Rhenani expositio rerum lucidissima necessario erroribus quibusdam permixta est, tamen Schœpflini illustrissimi laudes certe meruit, qui eum « omnium qui ex Alsatia prodierunt historicorum doctrina et perspicacia mentis præstantissimum » salutat, quum ille « arte critica usus, fabulis inquinatam Alsatiæ historiam purgare cœpisset a sordibus, illas præsertim Wasthaldo = et Hunibaldo = Trithemianas, quas Guebwilerus, præceptor ejus, pleno ore hauserat, aversatus quod aureolus Rerum germanicarum libellus, ubi pleraque alsatica sunt, satis demonstrat[2]. »

Quod judicium a posteris quoque unanimiter confirmatum est et Selestadiensis eruditus semper inter doctiores provinciæ filios colendus est[3]. Si recentiorum temporum historiam delineare recusavit, ex timido partim Beati nostri et pacifico animo id explicari potest. A controversiis enim theologicis abhorrens, quibus tum orbis implebatur universus, ut eas evitaret, sese totum antiquitatis studio dedit, etsi, testibus amicis Argentinensibus, doctrinas novas non omnino repudiabat[4].

Unicum itaque opusculum de rebus suo tempore gestis, et id in juvenilibus annis, antequam controversiæ exarsissent, scriptum, hoc loco citandum est, Vita Johannis Geileri Cæsaremontani, con-

[1] Eamdem sane quidem materiam in codice Basileensis bibliothecæ (E. V. 47) reperimus, ubi « Beati Rhenani de urbis Selestadii antiquitatibus » opusculum manu Bonifacii Amerbachii, mense februario 1527, quinque foliis inscriptum est.

[2] *Alsatia illustrata* (Colmariæ, 1751), tom. I, in prooemio.

[3] Cfr. Xaverium Wegele, *op. cit.*, p. 135 ss. ubi de Beati nostri ingenio et studio sagacissimum consignatur judicium.

[4] Antiquæ tamen fidei sese semper in patria civitate accommodavit.

cionatoris in ecclesia cathedrali Argentoratensi celeberrimi[1], Jodoco Gallo theologiæ doctori dicata. Ex notitiis Guillelmi cujusdam Lucelstainii, religiosi Geilero devotissimi compilata est, juvenilis potius reverentiæ, pietatis et amoris quam futuræ scientiæ documentum.

§ 17. De scriptoribus historico-politicis temporibus reformationis Ecclesiæ.

Ineunte magno illo renovandæ religionis tumultu, ut per orbem christianum universum, ita in Alsatiæ finibus sæpius in doctis exorta est historiæ tam universalis quam specialis scribendæ cupido, sive ut ex antiquis fontibus suæ quisque doctrinæ fundamenta melius stabilitaret, sive quia re vera res multo majores notandæ erant quam antea, quarum narrationem utraque pars posteris fideliter tradendam esse putabat. Quoniam autem altercatio præsertim inter theologos orta est non mirum videri potest et a theologis narrandi laborem susceptum et a jurisconsultis, qui eos in disputationibus, colloquiis, sessionibus Ordinum adjuvabant, continuatum esse. Quanquam ab utrisque partibus inchoatum est illud opus, attamen quum provinciæ pars major et Argentoratensis præsertim civitas novis doctrinis adhæsissent, harum quoque defensores fere soli tunc inter Alsaticos opera historica typis mandaverunt[2], etsi et ab adversariis nonnulla delineata sunt[3].

Inter quos, ordine chronologico primus Gasparus Hedio, seu

[1] Impressa est Vita Argentinæ apud Schurerum, anno 1510, Geilero vix defuncto.

[2] De impulsu quem historici Alsatiæ scriptores ex Reformatione acceperint nuperrime disseruit Maximilianus Lenz (*Der Einfluss der Reformation auf die Geschichtsauffassung und Geschichtsschreibung im Elsass*, Ein Vortrag, etc. Halle, Niemeyer, 1895, 8°).

[3] Ex Clussrathii Collectaneis novimus doctorem Halingerum, civitatis Vindobonensis syndicum, Argentinæ natum, Chronicon conscripsisse quod centum post annos in Bibliotheca Cæsarea a quodam Abrahamo Hoffmann repertum et consilio supremo reipublicæ oblatum est. (Protoc., XXI, 15 febr. 1617.)

Heyd [1], notandus est; Ettlingæ anno 1494 natus, theologiæ doctor Basileensis, tum ejusdem apud Argentoratenses professor et concionator peritissimus (1523). Conventus ecclesiastici reipublicæ præses anno 1549 creatus, obiit ibidem septima decima die octobris anni 1552 [2]. Qui quum commentarios præsertim biblicos varios scripserit et antiquos historiæ ecclesiasticæ scriptores, Eusebium et alios vulgari sermone ediderit, nostro tamen historicorum cyclo adnumerari potest, quia Chronicam universalem ab initiis ad annum usque 1539 descripsit [3]. Ea quidem translatio est, maxima de parte, Chronici Urspergensis Conradi a Lichtenau, adjuncta continuatione de anno 1230 ad annum 1537, in quo supplemento ex Argentoratensibus chronicis, aut ex ipsius auctoris memoria nonnulla de rebus per Alsatiam gestis relata sunt [4]. Idem Hedio certe quidem fuit ille « studiosus quidam historiarum » anonymus qui, « quantum brevitate temporis fieri potuit » sub vocabulo Cratonis Mylleri *Paralipomena ad Chronicon Urspergense* antea jam collegerat [5], ubi multiplicem ex chronicis Argentoratensibus manu scriptis desumptam materiam recognovimus [6], id quod ex his verbis sæpissime adjectis satis apparet : « Habent chronica scripta Argentoratensia, etc. »

Alter etiam virorum doctorum tum Argentinæ degentium, recentissimam provinciæ historiam in officina Cratonis Mylleri typis mandare constituerat, Nicolaus Gerbelius, Pfortzhemius [7], ut ex

[1] Non vero *Bœclin* sicut Oscar Berger-Levrault in opere suo ceterum utilissimo (*Annales des Universités alsaciennes*, p. 103) nomen interpretatur.

[2] De vita ejus vide Carolum Spindler, *Hédion*, Strasbourg, 1861, 8°.

[3] *Ein ausserlesene Chronick von anfang der welt biss auff das iar nach Christi Gepurt MDXXXIX in vier teyl oder buecher abgeteylet... zu nutz und wolfart teutscher nation, durch Caspar Hedio, doctor.* Strassburg, Crafft Myler, 1539, 778 pag. in-folio.

[4] Exempli gratia, fol. 759: *Schul zu Strassburg.* — fol. 769 : *Wie Strassburg allem teutschen land gelegen sey*, etc.

[5] Argentine, anno 1537, in-folio.

[6] Exempli gratia, fol. 356 : Bellum Gualteri de Geroltzeck, episcopi Argentinensis. — fol. 381 : De secta flagellantium. — fol. 382 : Rhenus clauditur Argentorati. — fol. 384 : De primis Anglicis. — fol. 385 : De secundis Anglicis. — fol. 424 : De Armiacis, etc.

[7] Anno incerto Pfortzhemii natus, anno 1506 Coloniæ jam studiosus, doctor juris Padovanus anno 1513 creatus, Argentorati anno 1560 denatus; opus Cuspi-

ipsius bibliopolæ verbis satis constat, quippe qui in editione chronici Urspergensis (p. 483) ita loquatur de rusticorum seditione: « De qua, unde ceperit, per quos creverit, quibus de causis, quot sodalitia habuerit in agro Rhenensi, ut coierint Zaberniæ, et in Lupfstein, Scherwiler, Nuwiler, etc., etc., qua severitate Magistratus in eos animadvertere coactus et Germania rusticorum cedibus polluta sit, D. Nicolaus Gerbelius Phortzensis, vir doctus, verus et facundissimus, secretarius illustrium heroum Capituli Argentinensis, quatuor libros paravit, eosdem lectorem exspectare volo. » Nemo certe nobis meliorem de rusticano in Alsatia tumultu narrationem dare potuit quam doctissimus ille jurisconsultus qui ab anno 1525 Argentorati vixit, Luthero amicissimus; qua vero causa opus nunquam in medium prodierit plane nescio, sed conjecturæ locus est, quum Hieronymi Guebwyleri de eadem materia opus, contra quod Gerbelii narratio potissimum conscripta erat, lucem non viderit, in oppositis castris etiam historiam illius calamitatis ut injucundam et inutilem, seu ab editore, seu etiam Magistratus auctoritate suppressam fuisse.

Inter historici laboris studiosos hujus temporis virum quoque commemorare licet illius sæculi facile per Alsatiam principem, Jacobum Sturmium, prætorem reipublicæ Argentinensis celeberrimum, qui omnibus fere negotiis tunc per Imperium romano-germanicum gestis nomine protestantium Ordinum interfuit, et qui et a Carolo Quinto imperatore et a Francisco I Galliarum rege magni æstimabatur. De cujus vita actisque hoc in paragrapho disserere locus non est[1]; hoc modo nobis dicendum est eum antequam permultis in gravibus negotiis principis legatorum patriæ

niani postumum de Cæsaribus (1540) et Cassiodori Chronicon (1560) edidit. — Cfr. Aug. Fridericum Liebrich, *Nicolas Gerbel, jurisconsulte théologien du temps de la Réformation* (Strasbourg, 1857, 8°) et Ludovicum Geiger in *Allgemeine deutsche Biographie*, tom. VIII, p. 716.

[1] Jacobus Sturmius, Argentorati natus, die 10. Augusti 1489, ab anno 1524 in Consiliis supremis reipublicæ locum tenuit, anno 1527 prætor creatus, ultimam diem, 30. octobris 1553 invenit. Cfr. de eo Ernestum Lehr, *Mélanges de littérature et d'histoire alsatique* (Strasbourg, 1870, 8°) et Henricum Baumgarten, *Jakob Sturm* (Strassburg, 1876, 8°).

urbis locum teneret, ad rerum scientiam augendam e documentis Archivi Argentoratensis narrationem extraxisse summariam de omnibus quæ ab anno 1427 ad annum 1517 in comitiis Imperii tractata fuerant. Quod opusculum mediante sæculo octavo decimo a Jacobo Wenckero in lucem protractum est[1].

Optime de historicis studiis in Alsatia meruit Jacobus Sturmius, quum Johannem Baptistam Philippium, cognomine potius Sleidani a litteratis hominibus cognitum, Argentoratum arcesseret et ei a principibus Smalcaldico fœdere conjunctis res tunc temporis per Germaniam pro religione et patria gestas enarrandi potestatem impetraret. Sleidæ anno sive 1506 sive 1508 natus, vir erat jam maturæ ætatis et hominum mentes et regiones multas per arduas vitæ tramites cognoverat tum quum e Gallia profugus Argentoratum venit, ibique portum, si non quietum, tamen minus tempestatibus turbatum invenit et monumentum exegit rerum narrandarum illustrissimum. Quodsi in memoriam revocaverimus quanta pericula auctoribus tunc imminuerint qui historiam coævorum non modo militarem sed etiam diplomaticam libellis referre tentabant, Sleidani *Commentaria* etsi nec mendis nec erroribus carent, summa admiratione intuebimur. In iis enim res religionis causa in Germania motas et hac occasione controversias gravissimas exortas, magnamque historiæ Carolinæ partem ex actis publicis, archiviis protestantium principum et senatus Argentinensis, nec non e memoria summorum virorum qui negotiis interfuerunt ipsi, inter quos Jacobus Sturmius primum tenet locum, summa fide, diligentia et prudentia culto stylo descripsit. Etsi « evangelicam doctrinam beneficio Dei restitutam » libenter professus est, ut ipse ait[2], tamen « ab omni verborum acerbitate abstinuit » et in vio-

[1] « *Auszug aller gehaltenen Reichstæge und summarie dabey beschrieben wie und wass uff einem jeden gehandelt worden... von Herrn Stettmeister Juncker Jakob Sturm von Sturmeck vormals beschrieben* » in editione tertia Philippi Knipschildii Tractatus politico-historico-juridici de juribus et privilegiis civitatum imperialium. Argentorati, Beck, 1740, folio. Quo in libro, ut transeundo referam, et longior dissertatio de topographia et regimine urbis Argentoratensis includitur (p. 285-303).

[2] Commentaria, ed. Am Ende, I, p. 15.

lento omnium affectuum conflictu, qui tunc temporis grassabatur, moderatiorem illo, aut apud catholicos, aut apud lutheranos, narratorem invenies nullum; detrectatoribus sane quidem suis præstitit longe omnibus.

Quicunque acta publica vel secreta negotia eorum temporum, nostris modo diebus edita vel breviter inspexerit, de fide Sleidani, ob quam summis vitæ periculis se objecit, non dubitabit. Latuit eum certe interdum historica veritas, in archivis secretis recondita, quæ nunc et tironibus a doctis aevi nostri scriptoribus facile explicatur, sed summæ esset iniquitatis, immo vero dementiæ, si Sleidani *Commentaria* luce. ut ita dicam, nostra adhibita judicaremus. Caret quasi vividis coloribus et tumultuosa descriptione quum tempora tumultuosissima enarret, sed auctorem potius laudare quam inculpare decet quod in hoc acerbissimo conflictu animi quietem servare studuit. *Commentariorum de statu religionis et reipublicæ Carolo Quinto Cæsare libri XXVI* anno circiter 1544 inchoati, lento gradu progressi sunt, nam mense septembri 1552, ad annum modo 1525 provectam esse narrationem scribit auctor[1]; tum vero libri sequentes rapidiore calamo depicti sunt, mense enim decembri 1554 Sleidanus amico cuidam nuntiavit: « Opus totum persolvi[2]. » Principes tamen Germaniæ aliquot (inter quos Christophorus Wirtembergiæ dux) quominus opus ederetur impedire tentaverunt ne Carolus imperator irasceretur; senatus autem Argentoratensis strenue pro Sleidano contra nisus est et virili ejus auxilio Commentaria in lucem producta et numerosis mox editionibus, translationibus, continuationibus per reliquum sæculi dimidium et per sæculi proximi initia iterum et iterum, præsertim in Alsatia, excusa sunt[3].

[1] Baumgarten, *Sleidans Leben und Briefwechsel* (Strassburg, 1878), p. 88.

[2] Epistola 2. decembris 1554. Baumgarten, *op. cit.*

[3] Præstantissimæ tunc temporis editiones Argentorati sumptibus Rihelii factæ sunt in-folio et in-octavo, hodierno vero tempore ea modo editione utendum est, a J. G. Bœhmero, professore Lipsiensi delineata, quam Christianus Carolus am Ende, parochus Kaufburanus, Francofurti ad Mœnum annis 1785-1786 tribus voluminibus evulgavit.

Sleidanum igitur merito optimis sui temporis historicis adnumerare scriptoribus, et veritatis, prout ipsi cognita fuit, amantissimum dicere possumus[1]. Quum vero bene informata et « satis fidenda » Commentaria monumentum illius aevi eximium esse putemus, non tamen negari potest primam eorum partem magis ex actis publicis haustam nec « autopsia » auctoris inspiratam, non ita lectorem delectare, quoniam Sleidanus, ineunte Reformatione, adolescens, tum et apud Belgas vel Gallos degebat et Germania tunc ei minus cognita erat, nec ei Ulricum Huttenium nec Franciscum Sickingensem, nec Martinum Lutherum juvenem de visu conspicere contigit, priusquam de eorum factis verba faceret. Secunda vero pars operis qua res suo tempore gestas exponit, quum ipse jam legatus protestantium principum vel consiliarius illis interesset, ab iis etiam in Angliam et ad concilii Tridentini patres missus, lectionis valde jucundioris est[2].

Inter Argentinenses Sleidani continuatores hoc paragrapho solum adducemus Michaelem Beutherum, Carolopolitanum, in Academia Argentoratensi historiarum professorem, qui libros octo commentariorum de rebus in Europa et in aliis quibusdam orbis terrarum illustrioribus regnis, Carolo V imperante, gestis scripsit, e diversarum gentium annalibus excerptos. Jam in titulo voluminis. seu auctoris seu editoris cura, parum modeste laudatur opus, quod « complura a Sleidano prætermissa supplet, multa breviter tantum ab eodem adnotata copiosius exponit, quædam etiam paulo aliter atque ille commemorat. » Nihilominus nec ingenio nec forma antecessoris commentaria æquiparat. Accessit et appendix rerum memorabilium, Ferdinando patre et Maximiliano filio imperatoribus « ad hanc usque nostram ætatem gestarum » quæ et germanico

[1] De altero Johannis Sleidani celebrato opere, *De quatuor summis imperiis libri tres*, in gratiam juventutis confecto, raro scientiæ pædagogicæ specimine, plus quam septuaginta editionibus vulgato, nihil hoc loco dicemus, quum ad historiographiam Alsaticam ne tenui quidem filo adjungi posset.

[2] Optime de Sleidani meritis et mendis disseruit vir doctissimus Fridericus Guillelmus Kampschulte, *Ueber Johannes Sleidan als Geschichtsschreiber der Reformation*, in periodico *Forschungen z. deutschen Geschichte* (1864), IV, p. 57. Confer etiam Wegelium, *op. cit.*, p. 227-237.

textu ab ipso Beuthero, latino vero sermone a Mathæo Delio Hamburgensi addita est. Id opus quod Heinrico de Mulnheim, Argentinensis reipublicæ prætori dedicatum, anno 1568 ex officina Riheliana prodiit[1], res ab anno 1519 ad annum 1566, stylo arido et, ut ita dicam, exsangui describit et præproperatum scriptum mediocris compilatoris dici potest.

Post mortem professoris filius ejus Johannes Michael Beutherus aliam paternam elucubrationem in lucem edidit : *Animadversionum sive disceptationum tam historicarum quam chronographicarum librum singularem*[2], in quo per novemdecim capita farraginem historiarum sacro-profanarum contulerat, de Caïn et Abel fratribus, de diluvio, de die passionis Christi, de appellatione Celtarum ethnica, de Germanorum origine, etc. Caput ultimum simul et brevissimum inscribitur : *De antiquis Alsatiæ incolis ejusque etymologia moderna vera* »[3] quo de auctoris eruditione atque ingenio testimonium sane quidem mediocre affertur. Et formam reipublicæ Argentoratensis adjecit editor, qui permultos eam descriptionem rogasse et postulavisse affirmat.

His scriptis adnumeranda sunt alia quædam, si non ejusdem naturæ, e simili tamen eruditorum alsaticorum cœtu, et iisdem fere annis elaborata, quæ ad cognoscendam provinciæ historiam ejusque incolas et mores temporibus Reformationis perutilia habenda sunt. *Memorabilia* Conradi Kurssner seu Pellicani, viri in Alsatiæ superioris oppido Rubeacensi anno 1478 nati, in primo loco ponenda sunt. Qui puer adhuc in patrio cœnobio Minoritarum ad monasticam vitam destinatus, Tubingæ Basileæque theologiæ fuit lector, Italiam Galliamque peragravit et matura jam ætate ad novas doctrinas transiens a Turicensi magistratu hebraicæ linguæ professor in Universitate creatus est, ibidemque anno 1556 vitæ valedixit. Præter multa copiosa commentariorum biblicorum volumina, ad usum et recreationem Samuelis filii *Chronicon domesti-*

[1] Argentorati, apud Theodosium Rihelium, 1568, 116 pag. in-folio.
[2] Argentinæ, apud Bernhardum Jobinum, 1593, 359 p. in-18.
[3] Pag. 349-359.

cum conscripsit, quod nuper in lucem productum est[1] et in quo vitam suam et adolescentiæ fata præsertim, fideli et passim faceto calamo descripsit.

Diarium aliud seu Chronicon theologi illis temporibus celeberrimi, Johannis Marbachii, professoris et Conventus ecclesiastici Argentoratensis præsidis[2], ipsius manu scriptum in Archivo Thomano asservatur. Quod etsi jam a nonnullis excerptum fuit[3] tamen valde dignum est quod integrum prelo mandetur, nam nobis et theologicas dissensiones et res per triginta annos (1551-1581) in Argentinensi ecclesia gestas miro candore detegit, præsertim quum auctor diarii ad suum ipsius usum narrationem descripserit nec ullo temporis momento intimas cogitationes se ante oculos posterorum positurum esse putaverit et hac de causa amicos simul et inimicos vere et severe descripserit. Quod etsi prudenter in historicorum usum vertendum est — Marbachius enim lutheranæ factionis acrioris in Argentoratensium civitate princeps erat — multa cognitione digna *Diarium* nostrum continet et quæ alibi non invenias.

Hic etiam mentionem tantummodo facere liceat nepotis et concivis Pellicani nostri, Conradi Wolfhardii seu Lycosthenis, qui Rubeaci seu anno 1515 seu 1518 natus, sanctum apud Basileenses ministerium in S. Leonardi templo exercuit et in Helvetica illa urbe anno 1561 e vita migravit. Qui, non solum *Apophtegmata sive responsorum memorabilium locos communes* ex probatissimis auctoribus ad ordinem alphabeticum congessit[4] de quibus nihil

[1] *Das Chronicon des Conrad Pellikan*, herausgegeben von Bernhard Riggenbach. Frauenfeld, Huber, 1877, XLII, 199 p. 8°. — Summa accuratione in vulgarem sermonem conversum est Chronicum a Theodoro Vulpino (sive Renaud), Colmariensi, *Die Hauschronik Konrad Pellikan's von Ruffach, ein Lebensbild*. Strassburg, Heitz u. Mündel, 1892, 168 p. 8°.

[2] Natus est Johannes Marbachius Lindaviæ, apud Suevos, anno 1521, Argentorati professor theologiæ anno 1545, Conventus ecclesiastici præses anno 1552 creatus est ibidemque anno 1581 denatus.

[3] Jam a Timotheo Rœhrich, Carolo Schmidt, Augusto Trensz, Guillelmo Horning et a memet ipso sæpius allegatum est, in scriptis de Argentinensi reformatione nostro tempore compositis, sed Marbachii autographum, licet calamo fere inexplicabili depictum, integre typis mandari velimus.

[4] Basileæ, apud Oporinum, 1555, in-folio.

hic dicendum est, quoniam ex alsaticis scriptoribus Jacobum modo Spiegelium Sebastianumque Munsterum commemorat, sed etiam jucundum *Prodigiorum et ostentorum Chronicon* compilavit, de omnibus quæ contra naturæ ordinem ab exordio mundi ad sua tempora acciderunt[1], in quo hic et illic etiam e diversis Alsatiæ regionibus portenta denarrantur. Opusculum Lycosthenis ejusdem de Rubeaquensium reipublicæ primordiis, incrementis, devastationibus, manu scriptum, ut videtur, Sebastianus Munsterus citat, sed ubi nunc lateat nescio.

§ 18. **De Chronistis Alsaticis sæculi XVI extra Argentoratum.**

Scriptores de quibus supra locuti sumus, docti humanistarum discipuli vel continuatores, quum sive Græcorum sive Romanorum imitatores esse studerent, cum maximo coævorum numero parum aut, ut verum dicam, nihil consentiebant. Homines laïcos in urbibus vel exiguis vicis, in illa præsertim provinciæ parte quæ novationibus ecclesiasticis non correpta est, difficillime Hedionis aut Sleidani studio incensos esse credas; quæ de rebus in orbe christiano gestis cognita habebant, ea seu in schediis a bibliopolis vulgari sermone depictis et in publicum forum sparsis (*Zeitungen*) tradebant, seu in chronicis majorum more conscriptis, quæ et ipsi continuationibus secundum veterum scriptorum traditionem augebant. Quorum tamen pauca magni habenda sunt et pars minima ad nos pervenit, plerumque truncata, quum vel vastationes, incendia continuaque insequentis sæculi bella, vel prava posterorum negligentia plerosque illos codices in cœnobiorum aut castellorum archivis et in urbicolarum domibus deleverint. Quod etsi rei modum excessit aliquantulum, non omnino tamen errat qui per illud sæculum non multum ad historiam provinciæ promo-

[1] Basileæ, apud Henric. Petri, 1557, 670 paginis in-folio, xylographiisque ornatum evulgatum est opus.

vendam factum fuisse affirmat[1]. Vix de uno alterove plura dicere operæ pretium est. Ab iis qui ex Alsatia superiore originem duxerunt, enumerationis initium faciamus.

Inter omnia illius regionis chronica unum modo partim in lucem productum est, hos ante quinquaginta annos, Materni Berleri Rubeacensis narratio, quam Ludovicus Schneegans et Gualterius Strobel in Codice diplomatico civitatis Argentinensis ediderunt[2]. Natus est narrator noster Rubeaci, ubi pater ejus per quadraginta novem annos magistratus urbis assessor fuit, die et anno non bene exploratis[3], in celeberrima Selestadiensi schola, docente Hieronymo Guebwylero, eruditus[4], ad presbyterium consecratus est anno 1510; postea rector fuit in ecclesia Gueberswihrana diœcesis Basiliensis ante annum 1538, eumque anno 1555 adhuc inter vivos fuisse ex Schœpflini testimonio constat, qui id ex charta præpositurae S. Marci illius anni in primo folio codicis, quem tunc sui juris habebat, commemorat. Quo vero anno Maternus e vita discesserit adhuc nescitur.

Chronicon ejus, inter annos 1510 et 1530 descriptum res præsertim in Alsatia superiore gestas evolvit, sed quum episcoporum Argentinensium seriem ad Guillelmum de Honstein (mense junio 1506) deduxerit[5], etiam ad historiam provinciæ communem perutile dici potest. Codex autographus, germanico idiomate perscriptus, superiore sæculo in Schœpflini museo servabatur et cum ceteris celeberrimi historiographi cimeliis ad bibliothecam civitatis Argentinensis translatus, incendio anni 1870 periit[6].

Initia historiæ Alsaticæ Maternus, ut antecessores, tum ex Kœnigshovio tum ex Wimphelingii episcoporum catalogo desump-

[1] Wegele, *op. cit.*, fol. 294.

[2] *Code diplomatique*, tom. I, 2, p. 1-130.

[3] Verisimilius vero dies natalis ad annum 1487 deducitur quod semet anno 1497 puerum decem annorum vocat auctor (fol. 16).

[4] Chronicon, fol. 358.

[5] Quoniam episcopus ille ad annum 1541 sedem occupavit, non aliter quam ex cautissima auctoris prudentia silentium ejus de summi diœcesis rectoris actis rebusque gestis explanari potest.

[6] Codex folia numerabat, 397 in-folio.

sit[1], adjectis aliunde variis legendis[2]. Narratio continua ad annum 1508 deducta est, additiones autem variæ usque ad annum 1546 auctoris manu conscriptæ reperiebantur[3]. Neque vero mediocrem utilitatem afferunt expositioni parochi Gueberswihrani documenta numerosa ad historiam Ecclesiæ Argentinensis pertinentia, ex archivis monasteriorum Rubeaco vicinorum decerpta, quæ translatione teutonica chronico suo inseruit auctor. Inter additiones recentiores ea quæ de Johanne Geilero Cæsaremontano et de nuptiis Caroli Quinti imperatoris referuntur notanda sunt, itemque carmen de seditione rustica anni 1515, *Buntschuh* vocata, et aliud de aerolitho Ensishemensi anni 1492 carmen. De bello Burgundico fusiorem quoque habet narrationem, nam quum pater ejus aut rei frumentariæ militum Rubeaquensium his in bellis magister, aut modestius « inspector coquinæ » fuisset[4], ei gratificandi causa narrationem suam suscepisse filius affirmat[5]. Nihil contra de multis aliis rebus suo tempore gestis enarrat, nulla, ut exemplo utar, de seditione rusticorum, cujus tamen spectator fuit, verba facit[6]. Qua de causa vero tam multa omiserit, nec mihi satis apparet nec verisimilis mihi videtur Schneegansii conjectura, qui putat Ecclesiam novitatibus lutheranis perturbatam silentii causam fuisse; nam ex toto chronici tenore auctorem ad vitæ finem fidelem Ecclesiæ romanæ permansisse discipulum summa evidentia comprobari potest.

Dicendi genus, quo utitur, nonnullis vix capitulis Martino nostro vindicandum; cæterum jam Schœpflinus in notulis manuscriptis, a

[1] « *Uss welchen disses buch der merer teil von mir... gezogen ist* » ut ipse nimis modeste scribit (fol. 67b).

[2] Sic, exempli gratia, S. Imerii legenda, de gryphonis falcula in cœnobio Marzell apud Eguishemium servata (fol. 388b).

[3] Aliæ jam notæ ad annum 1614, manu cujusdam sæculo XVII additæ, paucissimæ tamen, inerant. Cfr. *Code diplomatique*, I, 2, p. 21.

[4] Vocabulum *Kuchenmeister* in utrumque sensum interpretari potest.

[5] Vide epistolam dedicatoriam ad patrem, anno 1510 conscriptam (*Code dipl.*, I, 2, p. 15).

[6] Memoratu dignissima sunt quæ de *morbo gallico* seu lue venerea et ejus irruptione per Alsatiam anno 1494 enarrat (fol. 196).

chronistæ editore lectoribus communicatis[1], recte monet Gueberswihrani rectoris opus non tam *Chronicon* quam *Collectanea* esse, ex quibus auctor historicam narrationem, ubi otiosus foret, instruere cupiebat. Argentinenses modo episcopos ordine chronologico recensuit, cætera vero pleraque promiscue congesta sunt. Opiniones Berleri politicas cum opinionibus coævorum, Wimphelingii, Beati Rhenani, Guebwyleri, præceptoris ejus, congruisse non mirum est, nam et Germanos extollit et Franco-Gallos non sine quodam timore periculorum imminentium increpat[2]. Historiæ tamen gallicæ attentiore animo quam antecessores studuit et regum seriem ad Hugonem usque Capetum notat, quum germanicorum regum vel imperatorum nomina adscribere non curaverit.

Et vitam S. Leonis IX papæ, alsatici pontificis maximi, cujus codicem in Murbacensis monasterii archivo invenerat, prelo mandare constituit Berlerus et manuscriptum Guebwylero magistro missum est; num vero in lucem productum sit, nescimus.

Alii jam Alsatiæ superioris annalistæ, auctoritate dispares, nunc omnino deperditi sunt, ut *Sancti Apollinarii Chronicon*, quod Theobaldus Kaufmann, hujus cœnobii administrator, sæculo quinto decimo compilavisse dicitur et quod ad tempora magni franco-gallici tumultus exstitisse sunt qui affirment[3]. Cujusdam quoque Trutmanni *Historia brevis belli rusticani in Alsatia*, in bibliotheca Argentinensi servata, quam Christophorus Guillelmus Koch dignam judicavit quam publicaret[4], igne combusta est. Quæ tamen jactura minus deploranda est, quod nonnullas alias de hoc agricolarum tumultu relationes accepimus. Inter quas Memorabilia a domino Ulrico de Rappolstein notata in primo loco ponenda sunt, quia propter narratoris dignitatem nec non concinnam ejus et candidam orationem, documentum ab exordio seditionis in Alsatia superiore

[1] *Code diplomatique*, I, 2, p. 24.

[2] « *Gott behuet uns vor solchen tyrannen !* » (fol. 4b).

[3] Sabourin de Nanton, *L'abbaye de Saint-Apollinaire*, in periodico *Bulletin de la Société des monuments historiques d'Alsace*, 1865, p. 4.

[4] Ejus mentionem in prospectu *Fontium Alsaticorum* (de quibus in proœmio diximus) fecit.

ad pugnam Scherwilleranam, mense majo 1525 commissam, perutile historicis præbet[1]. Exemplar narrationis Argentinense destructum est, sed aliud in bibliotheca Colmariensi publica exstat et in Luckii quoque *Annalibus Rappolsteinianis*, in archivo Alsatiæ superioris, inscriptum est. Edita est Ulrici nostri expositio in periodico *Alsatia* dicto[2] et a variis editoribus postea iterum typis mandata est[3], nec non gallico sermone translata[4].

Alia quoque de hoc bello rusticano notitia superiore jam sæculo ex chronico manuscripto liberi baronis Francisci Ludovici Waldner de Freundstein evulgata est[5]. Cujus si narrationis stylum investigaverimus, illam non sexto decimo sed octavo decimo sæculo conscriptam aut rescriptam fuisse facile perspiciemus, perbrevem, quum præter res aprili et majo mensibus gestas nihil amplectatur[6].

Pluris faciendum est Eckardi Wiegersheimii, civis Richovillani *Diarium de bello rusticano*, nam ex civium numero hujus oppiduli fuit qui, vi coacti seditiosis sese adjunxerunt et pugnæ Scherwilleranæ interfuerunt. Quamvis gravi sermone eos vituperet auctor « qui volunt esse dominis pares », e narratione sua facillime perspici potest, multos inter parvarum provinciæ civitatum, incolas agricolarum partibus favisse eosque libenter adjuturos fuisse ut optimatum, tam laicorum quam ecclesiasticorum, jugum excuterent, si fortuna iis prospera fuisset. Superiore jam sæculo prima vice lectoribus oblatum[7], Wiegersheimii diarium nostris temporibus iterum in lucem eductum est[8].

[1] « *Verzeichniss der Geschichten so sich im Jahr 1525 zwischen den auffrurerischen Bauern zu Rappoltzweyler und uff dem land herum verloffen, alles von dem wolgebornen herrn Ulrich, herrn zu Rappolstein mit eigener hand beschrieben.* »

[2] *Alsatia*, Mulhausen, 1854-1855, p. 135.

[3] A Julio Rathgeber, in opusculo *Die Herrschaft Rappolstein*, p. 70, et ab Eduardo Ensfelder (Strassburg, Heitz und Mündel, 1887, in-18).

[4] In periodico *Curiosités d'Alsace* a Carolo Bartholdi, Colmariæ edito, I, p. 191.

[5] « *Kleine Chronik aus dem Bauernkrieg* », in periodico *Der patriotische Elsæsser*, Strassburg, 1777, in-18.

[6] Recusa est narratio in A. Stœberi *Alsatia*, 1856-1857, p. 356.

[7] *Patriotischer Elsæsser*, anno 1777.

[8] *Alsatia*, 1856-1857, pag. 339-356.

Nullius fere momenti est ad historiam Alsatiæ brevissimum quoddam *Chronicon fodinarum Sanctæ Mariæ* in valle Lebrahensi, a Johanne Haubensack in secunda sæculi parte teutonico sermone compilatum. Auctor judex provincialis dominorum de Rappolstein in valle prædicta fuit ibidemque anno 1577, mense martio, septuagesimo tertio vitæ anno peracto obiit, vir ingenii ornatissimi rerumque metallurgicarum peritissimus, qui Sebastiano Munstero in capitulo vicesimo octavo libri quinti *Cosmographiæ* et jucundas descriptiones et figuras de labore metallicorum in fodinis Sanctæ Mariæ argentiferis suppeditavit. Ab anno 1508 ad annum 1570 quæcunque et apud fodinas et apud fossores memoratu digna ei videbantur tabellis mandavit, sed quoniam Sanctæ Mariæ vallis quasi extra hominum societatem sita est, pauca nostrum in usum converti possunt. Haubensackii codex in publica Colmariensium bibliotheca servatur ibidemque in Archivo regionali exemplum truncatum in volumine quod *Documenta Sanctæ Mariæ fodinarum* inscribitur insertum est. Quæ narratio gallico sermone a Johanne Dietrich partim translata nuperrime in alsatico periodico in lucem provecta est[1].

Historici opusculi nomine farrago quædam miraculorum a Sancto Theobaldo, Thannensium patrono, in mirabili sua ecclesia cathedrali ab anno 1407 ad annum 1521 factorum, vix designari potest[2]. *Tomus miraculorum* ille, germanice conscriptus, multa tamen ad sacras illius temporis peregrinationes et ad historiam singulorum in Alsatia consecratorum locorum adfert et hac de causa Georgio Stoffel, viro eruditissimo, qui codicem illum olim ex archivo Thannensi subductum, nuper vero in granario Heimsbrunnensi quodam repertum, in lucem edidit, gratias agemus, etsi

[1] *Histoire et Chronique rédigée par Jean Haubensack, juge provincial, etc.* in periodico *Bulletin de la Société d'histoire naturelle de Colmar*, 1875-76, Colmar, Decker, 1877, p. 325-345.

[2] Casu, seu fortuito, seu alia de causa tomus miraculorum, ineunte reformationis motu interruptus et una modo notitia ad annum 1633 sæculo posteriore adjuncta est.

prodigia ipsa nobis nulla historica auctoritate confirmata videntur [1] quamvis a secretariis magistratus solemniter attestata sint.

Sub finem sæculi sexti decimi *Chronicon Alsatiæ superioris* aliud descripsisse videtur Johannes Franciscus Ruffelmann, quod in bibliotheca Argentinensi publica servatum esse memorat Gualterus Adamus Strobel, opus non perfectum fuisse asserens quod mors præmatura auctorem impediverit quominus congestam materiam secundum ordinem distribueret [2]. Et hoc in flammis evanuit.

Inter Alsatiæ inferioris chronistas illius sæculi, in primo loco collocandus est Bernhardus Hertzog, cujus nomen et apud minus doctos antiquitatum nostrarum amicos ad hanc diem clarum exstitit et cujus ex chronico præsertim, per duo sæcula hauserunt quicunque Alsatica facta raptim commemorare volebant. Nunc vero ex injusta temporum mutatione vile habetur honesti Bernhardi nostri opus — non nummorum quidem pretio, quod exemplaria chronici rarissima sunt — sed a doctis plerumque ut indigesta moles nulla critica arte compilata aspernitur [3], quum hoc unum obliviscantur, auctorem illum modestissimum nunquam locum in doctissimo historicorum numero appetivisse, sed magistratum laboriosissimum inter multiplices labores variosque belli pacisque casus chronicam unice hac de causa compilavisse ut in civibus amorem patriæ pro viribus augeret.

Natus est Bernhardus Hertzog in civitate Wissemburgensi, anno 1537, Veneris die post conversionem S. Pauli, patre Johanne Hertzog, magistratus assessore et matre Anna Keller [4]. Durlaci, trans Rhenum, in gymnasio illustri classica studia absolvit [5], tum vicesimum tertium vix annum agens ducis Wolfgangii palatini

[1] Tomus miraculorum Sancti Theobaldi, herausgegeben von Georg Stoffel. Colmar, Jung, 1875, 8°.

[2] Strobel, *Verzeichniss, etc.* in Aufschlagerii opere *Das Elsass*, I, p. 142.

[3] « *Keine Spur von wissenschaftlicher Kritik* » exclamat Hegelius (I, p. 70) et pari severitate eum increpat Wegelius, *op. cit.*, p. 399.

[4] Secundum notitiam manu scriptam in exemplari Sebastiani Mueg a Boffzheim, ante bibliothecæ Argentinensis incendium a Ludovico Schneegans descriptam.

[5] *Chronik,* fol. 175.

Bipontini anno 1561 secretarius designatus est, postquam antea jam, quarto novembri 1560, Elisabetham Breitenacker uxorem duxit. Anno 1570 a Philippo V, Hanoviensi comite, in consiliariorum numerum cooptatus, primum in villa Ingwilleriana registratorem tum in villa Wœrthiana præfectum agere jussus est, quo munere ab anno circiter 1587 [1] ad vitæ finem functus est. Quo vero anno mortuus sit certo dici non potest, quum virum certe quidem anno 1594 inter vivos fuisse, anno 1597 jam sepultum esse constet [2].

Si balliviatum Wœrthensem suum summa cura administravit, ut e relationibus suis ad dominum satis apparet, quæ adhuc in archivo Alsatiæ inferioris asservantur, etiam a juvenilibus annis sese libenter studiis historicis devovit et dum Biponti a secretis epistolis erat, *Calendarium historicum ad annum salutis 1568* composuit; tum et opuscula varia de dynastis Hanoviensibus, de Wormatiensi civitate, de Wetteravia, etc. conscripsit, quæ vero nunquam ad typographos provecta ad hanc diem Francofurti ad Mœnum in bibliotheca publica latent [3]. Arduum vero opus et illis quidem temporibus pro meritis laudandum, est *Chronicon Alsatiæ* anno 1592 Argentorati vulgatum et « ex chronicis manuscriptis et veridicis documentis » sine magna critica arte ita consarcinatum ut ei a severioribus judicibus indigestæ farraginis nomen adscriptum sit; nihilominus permulta collecta sunt ibidem facta quæ frustra alio quæras loco, ex quibus doctissimus quisque historiarum cultor studiorum materiam prudenter cribratam sumere potest. Hertzogium vituperat Hegelius quod non quærat quæ ei non facile sub oculis

[1] Non solum ut Grandidierius (*Essais sur la Cathédrale*) affirmat, anno 1590, sed jam anno supradicto Bernhardum Wœrthii ballivium fuisse ex epistola Specklini constat. (Cfr. Reuss, *Les Collectanées de Specklin*, p. 11.)

[2] Rheinwaldius in Historia civitatis Wissemburgensis (p. 263) annum 1596 prædicat sed argumenta certa deficiunt.

[3] Timotheus Guillelmus Rœhrich ea omnia in sua *Alsatia litterata evangelica* manuscripta sub voce *Hertzog* enumerat, inter quæ « *Chronologia und Beschreibung der Graven und Herren zu Lichtenberg* » anno 1582 descripta, ad res Alsaticas maxime spectat. Cfr. etiam de Bernhardo Hertzogio dissertationem Eugenii Muntz in *Revue d'Alsace*, 1873, p. 370.

sint et in historia narranda schemata officii sequatur, id quod in officiali certe non mirum, nedum vituperandum sit. Addit vir celeberrimus Erlangensis quæ Bernhardus de rebus sæculo XVI gestis narraverit, ejusdem modo pretii esse cujus ea quæ in diariis publicis reperiri possint. Sed liceat nobis et hanc sententiam nimis severam dicere; nam obliviscimur interdum diaria illius ætatis publica exstitisse rarissima, et ille si non alia laude digna fecisset, laudandus est propter res novas ab eo collatas, quas in præstantissimo volumine, tot gentilitiis insignibus ornato accumulavit.

Decem per libros chronici materia distributa est. Primo et secundo imperatorum historia a Julio Cæsare ad medium Rodolphi II regnum (1591) deducitur; libro tertio urbes, vici, monasteria Alsatiæ inferioris, adjecta descriptione, enumerantur; quarto libro diœcesis Argentinensis describitur, additis episcoporum vitis ad Johannem usque de Manderscheid; quinto sextoque principatus et nobilitatem immediatam Alsatiæ inferioris singulatim enumerat, tribus vero ultimis operis libris civitates liberas et imperiales, Selestadium, Argentoratum, Haganoam et Wissemburgum illustrat, et leges earum fusius describit, magistratuumque seriem notat [1]. Quamvis a doctissimis censoribus contumeliose spernitur, Hertzogii *Chronicon*, ad nostra quidem tempora fons est unicus ubi, ut exempla afferam, vel abbatum diversorum monasteriorum series, vel de multis familiis Alsatiæ nobilibus jamdudum extinctis notitiæ, etsi minus correctæ, reperiuntur. Quamobrem, quum ad hodiernam diem nullum aliud habeamus splendidioris doctrinæ specimen quod candidum modestumque ballivium Wœrthensem omnino supervacaneum reddat, eum, etsi criticæ artis pæne rudis est, optimo jure tamen et nunc laudandum esse putavi [2].

[1] *Chronicon Alsatiæ oder Edelsasser Cronik unnd aussführliche Beschreibung des untern Elsass*, etc. Strassburg, B. Jobin, 1592, 1 vol. fol. Ut titulo jam apparet, Alsatia superior a Bernhardo Hertzogio huic libro non includitur, quod de hac provinciæ regione non tam bene informatus erat, fortasse etiam religionis seu rationis politicæ causa, quum de potentissima Austriaca domo verba facere nollet.

[2] De Bernhardo Hertzogio vide etiam G. Crollium *Memorabilia de Bernhardo*

In bibliotheca publica Argentinensi usque ad annum 1870 exstabat Chronici exemplar, a Sebastiano Mueg de Boffzheim viro consulari insignibus splendidissime ad vivum depictis ornatum nec non notulis passim locupletatum, ex quo, levi tamen errore, « ampla commentaria » Muegii facta sunt[1].

Liceat nobis hoc loco etiam generi socero celebrioris, mentionem facere, Johannem dico Fischartum, utriusque juris doctorem fecundissimumque poetam, qui, Bernhardo Hertzogio teste, opusculum *de originibus Argentoratensibus* conscripserat[2] quod si unquam ab auctore prelo mandatum fuit nunc temporis deperditum esse videtur : sed gloriam sane quidem mediocrem rhapsodo Argonautarum Turicensium daret si casu quodam ex tenebris ad lucem proveheretur[3].

Aliud jam Chronicon Molshemii compilatum et a Kœnigshovii temporibus (1386) ad annum usque 1546 continuatum in notis manuscriptis Ludovici Schneegans describitur, quod folia habebat 276 ; in ultima codicis pagina legebatur : « Hæc scripsit Joannes Fridericus Sessler, domini gratiosi episcopi Argentinensis cancellariæ secretarius. Chronici finis anno 1546 »[4]. Nihil aliud de auctore, nec quanti pretii compilatio ejus fuerit scimus ; volumen anno 1654 in manibus Heinrici Andreæ Scherer, Molshemiani administratoris depositum, quinquaginta vero abhinc annis in Ludovici Reinerii bibliotheca servatum, omnino sese oculis subduxit, sive temporum vicissitudine destructum est, sive adhuc inter privata cujusdam cimelia latet.

Brevissimum contra sed mentione non indignum opusculum

Hertzog, Biponti, 1768, 4° et Reinerium in *Revue d'Alsace*, anni 1835 (II, p. 219). Quanta modestia ipse de opere suo scripserit vide in præfatione chronici, fol. ii.

1 Eugenius Muentz, in dissertatione eruditissima jam citata (*Revue d'Alsace*, 1873).

2 Hertzog, *Chronicon*, liber III, pag. 7.

3 De Fischarto confer doctam disciduli mei, nunc viri amicissimi, Pauli Besson dissertationem, *Jean Fischart*, Paris, Hachette, 1889, 8°.

4 Notulæ de Sessleri chronico a filio Ludovici Schneegans, semisæculari amicitia conjunctissimo, olim dono acceptæ mihi in manibus sunt.

eodem fere tempore absolutum adhuc servatur, *Diarium* canonici Wissemburgensis, Beati Dietrich, in quo res gestæ usque ad celeberrimum monasterium sive potius capitulum Wissemburgense cum episcopatu Spirensi conjunctum, post obitum ultimi cœnobii abbatis, Rudigeri Fischer, enarrantur[1]. Quum narrationi vivæ lucidæque verbis: «Vale lector!» finem imposuerit auctor, non dubium est quin opus ad publicum usum destinatum fuerit. Textus autem a viro de rebus Wissemburgensibus bene merito, Josepho Ohleyer, translatione gallica in lucem editus est[2] postquam codicem jam valde mutilatum e manibus aromatariorum eripuit[3].

§ 19. **De chronicis Argentoratensibus sæculi XVI.**

Superiore paragrapho scriptores ex variis provinciæ nostræ locis qui per sextum decimum sæculum historiæ patriæ operam dederunt commemoravimus, solis exceptis Argentinensibus, propterea quod hac in civitate omnes chronistæ, prout hodie judicare licet — de eis loquor qui populari sermone usi sunt — Kœnigshovium excerpserunt continuationibusque suis textum illius et asseclarum plus minusve auxerunt, veteri capitum divisioni adhærentes. Quorum narrationes perlustrantes, quæ vel minuscula quotidianæ vitæ facta notant, stupefactione non mediocri comperimus quantum a rebus quæ tum maximæ per totum orbem christianum gestæ sunt tradendis abhorrere videantur. Liberiore prospectu in eas carent scriptores aut singulari timiditate capti eas exhibere nequeunt. Quod quanquam valde mirum videri potest in urbe doctrina variisque ingeniis celeberrima, cujus cives patricii aut plebeji nec ignorantia incusari possunt nec tum sensu politico carentes a ceteris habebantur, attamen facillime unicuique ejus rei causa perspicua erit, si animadverterit quibus modis et qua auctoritate Magistratus et

[1] Denatus est anno 1545.

[2] *Journal de ce qui s'est pratiqué pour opérer l'union de la prévôté de Wissembourg à l'évêché de Spire*, *Revue d'Alsace*, 1852, p. 305.

[3] (Ohleyer), *Der Bauernkrieg um Weissenburg*, pag. 25.

Ecclesia quominus libere opiniones politicæ enunciarentur illo tempore obstiterint, quum arctissimis vinculis scriptores et censura Senatus et censura Conventus ecclesiastici cohibuerint, ita ut ne pagella quidem cujusvis libelli sine auctoritate censorum speciali prelo subjicere typographis concessum fuerit[1]. Ne cujusquam pasquillantis imprudentia vel malevolentia respublica difficillimis illis temporibus in periculum adduceretur, summa senatus vigilantia chartæ omnes, chronica et documenta politica quæ in manibus mortui collegæ aut civis non admodum obscuri erant in sequestro archivi publici deponi jubebantur ne hæredes eis abuterentur[2]. Nec igitur mirum est si liberæ civitatis cives quibus re vera libertas dicendi judicandique abnegabatur, prudenter ab omnibus commentariis de rebus maximis ab ipsorum majoribus gestis abstinebant aut anecdota tantum minoris pretii, ne levioribus aut gravioribus pœnis afficerentur, colligere et de temporibus jamdiu peractis potius quam de suis temporibus narrationem evolvere malebant.

Itaque per totum sextum decimum sæculum et ad finem sæculi sequentis, historiographi Argentinenses, ii nempe qui e mediis civibus exorti, eruditionis classicæ rudes erant et quos vulgares vocare liceat, nec vetustas veterum formas derelinquere nec quasi spatia ab antecessoribus decursa deserere potuerunt; neque unquam aut ars narrandi debilior visa est aut debilius narratorum ingenium quam in gloriosa illa sæculi parte ubi respublica Argentoratensis præclaris rebus intra Imperii romano-germanici fines et extra gerendis profecto patriis scriptoribus grandem narrandi materiam præbebat. Sexto decimo illi sæculo Kœnigshovius alter defuit qui sollerti calamo chronicon illis temporibus omnino dignum exstrueret. Quæ nobis relicta erant, maxima de parte

[1] Cfr. Guillelmum Stieda, *Zur Geschichte des Strassburger Buchdrucks und Buchhandels* in periodico *Archiv des Bœrsenvereins*, V, Leipzig, 1879, p. 39, 73, etc.

[2] Ut Sleidani fratribus reliquiæ manuscriptæ celeberrimi historici a Magistratu non traditæ sunt (Protoc. XXI, 29 martii 1557). Ut doctissimus Giphanius Academiæ professor, in carcerem ductus est quia sine superiorum permissu translationi Commentariorum Sleidani per Beutherum descriptæ aliquantula adjecisset (Schad, Chronicon, fol. 273). Ut et Specklini manuscripta, post ejus mortem, anno 1589 delegati Consilii supremi perscrutati sunt, et multa plura.

adhuc inedita in archivis et bibliothecis sepulta jacebant antequam incendiis anni nefandi æterna oblivione obruta sunt. Eorum pars minima servata est, nec tamen ex fragmentis derelictis destructos annalium codices superstitibus meliores fuisse judicare licet. Faciem præbent nobis perfamiliarem et qui horum chronicorum unum evolvit, simul alios jam fere omnes perscrutatus est. In unoquoque tamen paragraphos invenies qui alibi desunt, sed quoniam non tam de editione textuum hic agitur sed modo de scriptis illis in genere tractare debemus, Argentoratenses hujus sæculi annalistas, prout seu nomina seu opera servata sunt, paucis jam exceptis, breviter tantum et summarie enumerabimus.

Ceteris anteponendum est Chronicon Archivi dictum (*Archiv-Chronik*) quod, etsi in altero sæculi dimidio perscriptum est [1] tamen anno 1510 maxima jam de parte conscriptum fuisse videtur. Cujus anonymus auctor initium narrationis, Kœnigshovio duce, a Semiramide facit sed historiam præsertim sæculi quinti decimi fusius enarrat, res quoque extra Alsatiam gestas interdum denotans [2]. Quum vero ne uno quidem verbo aut contentiones inter antiquam Ecclesiam et novatores aut reformationis Argentoratensis initia commemorentur, facile judicari potest, codicem antea descriptum fuisse. Varia cæterum capitula fere omnia ad annum 1510 vel 1515 narrationem sistunt [3] et si facta quædam annorum posteriorum passim reperiuntur (ut edicta magistratus annorum 1527, 1533, 1544, etc.) additæ sunt eæ notitiæ foliis non numeratis [4]. Nomen habet apud nostrates propterea quod in archivo civitatis remansit quum ceteræ chronicæ ibi depositæ ad bibliothecam publicam transferrentur, quinquaginta circiter abhinc

[1] Belli Burgundici descriptio anno 1565 codici inscripta est. (Cfr. *Code diplomatique*, I, 2, p. 32.)

[2] Historiam Aurelianensis puellæ (fol. 279), bellum Hussitarum (fol. 284), Universitatis Friburgensis fundationem (fol. 268) etc. enarrat.

[3] Paragraphus de inundationibus ad annum 1515 (fol. 77), de pestibus ad annum 1510 (fol. 80), series vero consulum ad annum 1558 deducitur (fol. 124[a]) et episcoporum catalogus ad Erasmi Limpurgensis mortem anno 1568 (fol. 133[a]).

[4] Recentissima chronici notitia, alia vero manu inscripta, ad annum 1607 pertinet (fol. 262[b]).

annis[1]. Jam prius in archivo reposita erat; num vero chronicæ nostræ hac designatione singularem auctoritatem dare voluerint valde dubito; nam narratio certe quidem continuata fuisset si quasi publica auctoritate ornata rerum Argentoratensium historia posteris evolvenda seposita fuisset.

Etsi chronici compilator permulta e Kœnigshovio nec non e continuatoribus mediævalibus canonici Thomani sumpsit[2], illa et ea quæ ad sæculi XVI historiam pertinent eodem stylo descripta sunt; medio autem in codice continetur Chronicon ab anno quadragesimo ante Ch. n. ad annum 1550 perductum, sententiis permixtum moralibus[3], quod certe a ceteris narrationis capitulis secernendum est. Hujus pars modo a Ludovico Schneegans et ab Adamo Gualtero Strobel in Codice diplomatico Argentinensi edita est[4], derelictis prioribus relationis partibus.

Chronicon alterum ab eodem scriba descriptum et Archivi Chronico fere simile, nisi quod insignibus pictis ornatum erat, Adamus Strobel in *Historia Alsatiæ* sua nomine *Reussiani Chronici* notat quum a patruo meo Ludovico Reuss, magistri civium assessore, († 1848) bibliothecæ publicæ Argentoratensi dono donatum sit[5], quod et anno 1870 sortis communis particeps fuit. Plura hic de eo codice afferre non possum, qui mihi nunquam ante oculos fuit, nisi Strobelium affirmasse paucis tantum additamentis et notulis a chronico de quo supra diximus eum discrepuisse[6].

Alia quoque chronica nomine tantum nobis cognita est, quam e Kœnigshovio excerptam porro tractavit Johannes Spach, a sartoribus in senatum majorem anno 1520 delegatus, id quod nepos ejus, Ulricus Spach, anno 1561 in titulo codicis commemorabat.

[1] Et hodie in Archivo exstat, et primo folio, sed non coæva manu verba : « *Zur lœblichen Statt Strassburg Archive gehœrig* » inscripta sunt.

[2] Cfr. *Code diplomatique*, I, 2, p. 153 et Mone, *Quellen*, III, 522; Code, I, 2, p. 177 et Mone, III, p. 539, etc., etc.

[3] Fol. 373 : « *Hie volgt ein kurze chronica, etc.* »

[4] *Code diplomatique*, I, 2, p. 131—220.

[5] *Code diplomatique*, I, 2, p. 38.

[6] Chronicon a Strobelio in sua *Vaterlændische Geschichte des Elsasses*, III, p. 288, 321, 342, etc. citatur. Bella Burgundica a folio 450 codicis enarrabantur.

Operis pars prima, quæ tribuitur avo (nam et Ulricus narrationem porro tractavisse dicitur) ad excidium Maguntinæ urbis anno 1462 deducta erat; sed rarissime evolutus codex cum tota bibliotheca Argentinensi ab hostibus combustus est antequam eum accuratius quisquam perlustrasset[1].

De chronico Johannis Jacobi Meyeri plura jam dicere licet quum, etsi fragmentatim, asservatum et ante hos viginti quatuor annos a me prelo mandatum est[2]. De auctore ejus ne hodie quidem certi quidquam affirmari potest; forsitan Jacobus ille Meyerus fuerit qui, consulatu in urbe patria per annos 1549, 1555, 1561, 1567 gesto, hoc eodem anno vitam finiverit, sed nullo argumento conjecturam illam firmare possumus[3]. Codicem autographum Johannes Fridericus Hermann adhuc in bibliotheca Argentinensi vidit[4] et ex notationibus ejus satis constat illum valde uberiorem fuisse Heitziano exemplari quo post bibliothecarum incendium in editione mea conficienda uti coactus sum. Vir ille eruditissimus, nescio quo lapsu calami, chronicon « ad sextum decimum fere sæculum » deductum dicit, sed ex ipsius textu constat, Argentinensium expeditionem contra vicum Willstætt de anno 1526 a Meyero fusius folio 374 enarratam fuisse, qui et hoc loco de familia sua quædam referebat, unde liquet ante hunc annum codicem autographum certe quidem non descriptum esse[5].

De Meyeri chronico duo adhuc exstant exemplaria manuscripta quorum unum Wolffianum denominari potest, ex bibliotheca Gustavi Wolffii jurisconsulti Argentoratensis novæ bibliothecæ civitatis adhibitum; quod semet ipsum ut chronicon abbreviatum

[1] Hoc unum modo nobis notum est codicem 406 folia in-folio numeravisse.

[2] *La Chronique strasbourgeoise de Jean-Jacques Meyer, l'un des continuateurs de Kœnigshoven*, publiée pour la première fois par Rod. Reuss. Strasbourg, Noiriel, 1873, 1 vol. 8°.

[3] Sane quidem et Johannes Jacobus Meyer consul de annis 1635-1653 reperitur in fastis sed quum Heitzianus codex Philippi Engleri XV. secretarii nomine inscriptum sit, qui anno 1617 e vita decessit, de illo conjecturam facere non licet.

[4] *Notices historiques et littéraires sur la ville de Strasbourg*, tom. I, p. XV.

[5] Hermanni notitia manuscripta in primo codicis Heitziani folio.

denuntiat[1], sexaginta duo solum folia cum indice alphabetico amplexum. Desunt capita tria de fastis consularibus, de episcopis Argentinensibus, de variis bellis et tumultibus, quæ in Friderici Caroli Heitzii exemplari reperiuntur quod olim Hermanni erat et nunc cum tota celeberrima bibliopolæ Argentinensis collectione alsatica ab Universitatis bibliotheca coempta est. In Wolffiano codice varia capita ad annos 1566, 1581, 1587 originali scriptura producta sunt; in Heitziano ad annos usque 1566, 1569, 1574, 1581; ex quo conjecturare mihi fas esse videtur, chronicon autographum in secunda sæculi parte conscriptum fuisse. Per totum vero septimum decimum sæculum additamenta varia Heitziano codici adjecta sunt, minimi tamen momenti[2].

Et in Meyerana narratione, ne verbo quidem de conflictu ecclesiastico fit mentio, nec de illis rebus quæ in ipsa civitate tum gestæ sunt minimam invenimus expositionem, et quum una vice auctori seu potius continuatori de bello episcopali inter Carolum Lotharingiæ principem et Johannem Georgium Brandenburgicum marchionem verba facere opus sit, prudenter recusat de his multa dicere, quum, si faceret, nemini gratum facturus esset[3].

Alia quasi populari ingenio descripta Chronica in bibliotheca Universitatis Argentinensis asservatur quam, vel partim, cuidam « Crispiano seniori » tribuendam putamus, nam a duobus vel pluribus auctoribus compilata est. Crispianus ille, ipso teste, anno 1495 Argentinæ in lucem editus est (sicut et uxor ejus, Veronica Entringer, anno 1499 nata), etsi humili stirpe ortus[4], nonnullos

[1] Fol. 61ª legitur, quum de tractatu pro defensione provinciæ anno 1555 inito verba facit auctor: « *ist nach lang in meiner grossen geschriebenen cronica verfasset.* »

[2] Undecim per capita distributa est materia in codice Heitziano : I. De urbe. — II. De collegialibus et monasteriis. — III. De monasteriis et collegialibus extra urbem. — IV. De ædificiis. — V. De quibusdam tumultibus. — VI. Fast. Consulares. — VII. De episcopis. — VIII. De quibusdam collusionibus internisi — IX. De variis bellis. — X. De tempestatibus. — XI. De incendiis. Si fastos consulares excipias et hic, vario quamvis ordine, Kœnigshovii schema reperitur.

[3] *Chronique de Meyer*, p. 117. « *Davon ist nicht gut zu schreiben, auch nicht wohl zu treffen dass mans jedem recht mache, darumb lass ich's pleiben.* »

[4] Fol. 73ª sese puerum matri vinum ex taberna ad Elephantum sæpius attulisse narrat.

tamen patriciis e gentibus viros cognovit [1] et Lotharingiam peragravit [2]. Anno 1538 prima chronicæ pars jam descripta erat quam Crispiano adjudicare licet [3]. Novæ doctrinæ eum admodum addictum fuisse variis e narrationis locis facile compertum est. Foliis tum 74ᵃ—88ᵇ Annales Argentoratenses summarii ab anno 510 ad annum 1492 inscripti, quasi raptim ex Kœnigshovio continuatoribusque excerpti minimaque cura compilati sunt, et calamo valde recentiore sub finem sæculi XVII codici Crispianino (an autographo dicam nescio) fragmenta quædam adjecta sunt. Inde a folio 117ᵃ series factorum nova ex Argentinensi historia initiatur, doctiore vero sermone ornata, ut vix alium ac studiis devotum auctorem hic habeamus a quo et Ptolemæus geographus, Aeneas Silvius, Marlianus, Irenicus, Thomas Wolfius et Wimphelingius citantur. De Argentinensium territorio, de fertilitate et pulchritudine ejus sequentibus in foliis a narratore anonymo, fortasse Crispiano — nam manu anteriore descriptæ sunt pagellæ — sequitur expositio quæ nisi ex animo gratiæ in patriam pleno non potuit effundi (fol. 119ᵃ—128ᵃ) [4]. Caput vero de episcopis quum ad mortem Johannis de Manderscheid (mense aprili 1592), pergat, nullo modo auctori anno 1495 jam nato adscribi potest. Nonnulla ad reformationis historiam Argentinæ et alibi pertinentia reperiuntur; quæ vero de dissidiis inter canonicos Capituli Ecclesiæ majoris catholicos et lutheranos exortis ab anno 1584 ad annum 1594 narrantur pleraque nova nec ex alia chronica horum temporum, quantum affirmare possum, cognita sunt [5]. Multa etiam de conflictibus, tunc frequentissimis inter varia reipublicæ consilia, Tredecimvirorum et

[1] Cum armigero nobili Johanne Marxio ab Erckwersheim in taberna vici Schnærsheim, prope Argentoratum, se colloquia sæpe fecisse affirmat (fol. 61ᵃ).

[2] Describit tumulum Caroli Magnanimi Burgundiæ ducis ab ipso Nanceii visitatum.

[3] De hoc anno scribit ut de præsenti tempore (*jetzund*) in narratione sua (fol. 73ᵃ).

[4] « *Aecker und fluess umb Strassburg.* » — « *Grœsse und wollust der statt Strassburg.* »

[5] Litigium id, per semisæculum continuatum, *Bruderhœffischen Hændel* nomine cognitum est a curia quadam (*der Bruderhof*) capitularia, ab ambabus litigantibus partibus vindicata.

Quindecimvirorum, de trecentorum scabinorum sessionibus, etc. enumerantur, tanquam ex memorialibus secretis horum consiliorum excerpta (fol. 160[a] — fol. 209[a])[1]. Hæc chronicæ pars mihi digna videtur quæ typis mandetur. Sequitur lex de causis apud senatum minorem reipublicæ instituendis (fol. 231[a] — fol. 271[a]) et, eodem in folio, historiuncula quæ anno 1612 Stuttgartiæ evenit, inscripta est. Multis jam numeratis foliis, nescio qua de causa abscissis, in folio 319 ab uno vel altero codicis possessore sub rubrica *Historiæ revolutionis 1791* paucissima modo verba addita sunt quæ media in sententia subito desinunt.

Deperdita est Chronica Balthasaris Kogmanni, civis Argentinensis, pellificum tribui inscripti, qui anno 1568 tribunalis civitatis (*Stattgericht*) assessor, postea fabricæ ecclesiæ S. Petri junioris administrator fuit novisque doctrinis fideliter adhæsit. Tribus voluminibus in-folio, amplissimis, Argentinensem historiam, licet non accuratissime, ex Kœnigshovio successoribusque anonymis compilaverat; præfatio operis anno 1578 data fuisse affirmatur[2], sed ex quodam Timothei Guillelmi Rœhrichii excerpto nobis notum est tomo jam secundo, idque in initio fere voluminis (fol. 91) eventum quemdam ad annum 1579 pertinentem enarratum fuisse, unde manifestum est multo serius narrationem suam elaboravisse auctorem, etiamsi anno quem antea diximus initium fecerit. Quæ tamen, quum in bibliotheca Argentinensi reposita esset, incendio destructa est, præter fragmenta minuscula nulliusque pretii, apud Ludovicum Schneegans, Timotheum Rœhrich, et in Chronico (de quo infra) quod sub nomine Stædelii in bibliotheca nova civitatis Argentoratensis servatur.

Paulo diutius Kogmanno vixit narrationemque descripsit Sebaldus Buheler, qui inter Argentinenses hujus sæculi chronistas locum peculiarem tenet, nam fidei catholicæ addictus erat, quum cæteri coætani res domi et foris gestas secundum novæ doctrinæ

[1] Ibidem, fol. 202[a], nominatus est Nicolaus Gœtz quidam, cui pro sessione pecunia assueta tribuitur; fortasse hic fragmenti illius auctor est; cur enim solus inter tam multos collegas nominaretur?

[2] Hermann, *Notices*, I, p. XV.

principia judicarent. Pater ejus, Sebaldus Buheler, quum e Norimbergensi civitate Argentoratum migrasset, armamentarii Argentinensis director (*Zeugwart*) constitutus est, ibidemque filius ei natus est vicesima nona die augusti, anno 1529, qui et artem pictoriam et vini negotium simul exercuit, et ut vini bonum negotiatorem decet, jucundum eum etiam potatorem fuisse, ex propriis scriptis apparet. De arte sua pictoria duo modo specimina exstant, Armoriale Osthausense (*Wappenbuch*) liberorum baronum Zorn de Bulach, annis 1582-1589 depictum, Liberque Consularis (*Ammeisterbuechlein*) stirpis Brackenhofferianæ qui ad annos 1589-1594 pertinet. Chronicam ipsam Buhelerus inter annos 1586-1588 compilavit et natali sua die (29 augusti 1588) ei finem imposuit; notitiæ tamen manu sua passim additæ sunt, quarum ultima, ad vicesimam septimam diem junii mensis 1594 vini mirabilis coemptionem summo gaudio enarrat. Quo anno vitam finiverit parum constat et, ut opinor, semper ignorabitur quod hujus temporis indices mortuorum omnino deperditi sunt[1].

Buheleri autographum inter Schœpflini codices servabatur; quo et Philippus Andreas Grandidierius usus est partimque id gallico sermone transferri curavit. Quod de Memoriali paterno enuntiat vir eruditissimus quo Sebaldus junior ad scribendam suam narrationem se usum esse dixit, valde dubito num res ita se habeat, quum de his armamentarii directoris notis nusquam, ne in filii expositione quidem, vestigia deprehendere possim. Universalis historiæ capita, vitas scilicet imperatorum summorumque pontificum seriem, Kœnigshovii textum secutus sed multo brevius enarrat variasque ejus rubricas in chronico continuat. Sed ab anno circiter 1555, ut fragmentorum editor accuratissimus, canonicus Leo Dacheux, demonstravit, quotidianas notulas tabellis inscripsit pictor noster, quæ anno 1586 modo in codice *inscriptæ*, non autem ab autore *conscriptæ* sunt. Habebat codex ille duos tomos, quorum primus historiam Argentinensem ad annum 1506,

[1] Qua de causa Füsslin in sua Encyclopædia pictorum (*Künstlerlexicon*) sub verbo Buheler eum anno 1595 emortuum notet, nescio.

alter ad annum 1594 complectebatur; parum olim cognitus, nostro vero tempore frequentius excerptus, incendio anni 1870 periit. Etsi longe maxima chronici pars hodie deest, sufficiunt tamen quæ recentissimus editor singulari studio undecunque collegit, ut quantum ille scriptor jucunditate et sagacitate valuerit judicare possimus operisque jacturam vehementer doleamus[1].

De Johannis Schenkbecheri Chronico Argentinensi per secundam sæculi partem conscripto nihil superest nisi duo minuscula fragmenta, casu quodam a Johanne Friesio excerpta, in quibus ille tredecimvir, sanctæ apud cives etiam nunc memoriæ propter donationes et scholastica stipendia, quibus ad nostra tempora adolescentes pio animo fruuntur, de suis negotiis cum Henrico, principe Condæo, tum Argentinæ degente, annis 1574 et 1575 mentionem facit[2]. Quæ vero de ingenio viri peritissimi nec non de officiis quibus in patria civitate functus est novimus, efficiunt ut Schenkbecherianam chronicam igne consumptam fuisse valde deplorandum esse censeamus.

Johannes quoque Georgius Bueb, civis Argentinensis, chronicon conscripserat, quod exeunte adhuc sæculo XVIII in archivo civitatis servatum, nunc deperditum est: id, si Silbermanni testimonio credimus, ad minimum usque ad annum 1595 deductum[3], a filio tum vel a nepotibus triginta quinque per annos continuatione ornatum erat[4]. De chronico Johannis Balthasaris Ruchii, quod ad finem sæculi sexti decimi compilatum est, brevia modo

[1] Buheleri Chronico vir eruditissimus, Leo Dacheux, breve *Ecclesiæ cathedralis Chronicon* præmisit, quod fortasse a pictore e manuscripto antiquiore decerptum putat, unice de ædificiis sacris urbis tractans et a Ludovico Schneegans recentiore exemplari servatum, quod ad historiam summi templi Argentinensis non inutile habendum est. (*Fragments des anciennes chroniques d'Alsace. I. La petite Chronique de la Cathédrale. — La Chronique strasbourgeoise de Sébald Buheler, fragments recueillis et annotés* par l'abbé Dacheux. Strasbourg, Schultz, 1887, in-8°.)

[2] *Vaterlændische Geschichte von Strassburg*, II, p. 317-318.

[3] *Merkwürdigkeiten aus den Silbermænnischen Schriften*, ed. Joh. Friese, p. 161.

[4] « *Chronica die sagt von Bischoffen zu Strassburg und von ettlichen namhafften Dingen die zue Strassburg oder in dem Elsass und landen nahe dabey geschehen sindt... biss auffs 1630 jahr.* » Hermann, I, p. XVII.

servantur excerpta quæ Carolus Gérard ad melius eruenda Alsatiæ commercia nec non provinciæ artes operarias olim decerpserat[1]. Quum auctor hortulanorum Argentinensium tabularius fuerit, certe multa, si non ad historiam civitatis politicam, tamen ad cognoscendos mores vitamque civium quotidianam non parvi pretii fuisset Ruchii *Descriptio Argentoratensis* si incendium ei pepercisset[2]. Hermanno teste, ad annum 1588 producta fuit[3].

Adami Schertzii Chronicon, eodem tempore conscriptum, partim in exemplari recentiore sæculi septimi decimi exstat[4]. Quis ille fuerit, num proavus Georgii Scherzii, professoris sæculo octavo decimo doctissimi, ille « civis Argentinensis simplex » ut ipse in proœmio operis se modeste designat, habendus sit, nescitur. Narrationem vero ex antiquis chronicis et libris aliis, « præsertim e chronico quod Jacobus a Kœnigshoven ducentos ante annos scripserat[5] » desumpsit, per septem capita distributam. Quorum primum origines Alsaticas et Argentoratenses breviter enarrat, secundum de ecclesiis, monasteriis et monumentis Argentinæ civitatis disserit. Cætera jam deperdita sunt et ex indice modo constat tertio capitulo de historia profana, quarto autem de historia civitatis ecclesiastica, quinto de bellis in Alsatia gestis, sexto de quibusdam rebus Argentorati gestis, septimo denique de variis portentis et miraculis auctorem tractavisse[6]. Recentissimum factum

[1] Ch. Gérard, *L'industrie et le commerce en Alsace au XVII^e siècle.* (*Revue d'Alsace*, 1850, p. 55.)

[2] *Wahrhafte und gründliche Beschreibung der weltberuhmten und weyt herumb... bekannten Reichsstatt Strassburg*, etc. in-folio.

[3] Hermann, *Notices*, I, p. XVI.

[4] Ex libris Gustavi Wolffii nuper ad novam bibliothecam civitatis allatum est (Mscr. 275).

[5] « *Darumb will ich, Adam Schertz, burger zu Strassburg, usschriben uffs kurzest und einfeltigst ettliche ding die mich am nutzlichsten beduncken, uss alten chronicken und andern buchern und sunderlich uss der chronica die Jacob von Kunigshoffen... vor 200 jaren hat beschrieben* » (fol. 1). Ex « aliis libris » cantilenam veterum Francorum (« *ein alt frœnkisch leicht* »), exempli gratia, desumpsit.

[6] *Von weltlicher oberkeit über Strassburg. — Von christlicher oberkeit über Strassburg. — Von krieg, stritten und reysen. — Von allerhand geschichten zu Strassburg. — Von allerhand wundergeschichten ins gemein.* »

cujus mentio fit in pagellis adhuc servatis decretum est magistratus de eleemosynis, anno 1575 latum. Sanctæ Odiliæ et monasterii ejus historia ad annum 1542 usque continuata est, sed quod maxima chronici pars hodie deest, quo tempore et eventu narratio re vera absoluta sit indicare non possumus [1].

Si ex scriptoribus illis, de quibus supra diximus, vix unus vel alter apud recentiores, et nomine quidem passim citatur, *Collectanea* Danielis Specklini, celeberrimi ædilis et architecti militaris Argentinensis, opus est per duo jam sæcula præclare notum et excerptum [2], etsi nuperrime modo quæ de iis supersunt typis evulgavimus.

Daniel Specklinus Argentorati, anno 1536 natus, phrygionis sericati artem primum exercuit; postquam vero per plurimos annos Vindobonæ et aliis in austriacis territoriis studio munimentorum et architecturæ militaris se totum tradidit et paulisper armamentarii Maximiliani imperatoris (*Kaiserl. Rüstkammer*) curam habuit, maximam Europæ occidentalis partem, bellicorum operum structor, peragravit, scientiam exercens suam et a principibus civitatibusque multis arcessitus, donec in patriam redux, anno 1577 a magistratu civitatis ædilis designatus est, quo munere functus est ad ultimam vitæ diem (18 octobris 1589), quamvis ab exteris ad struendas circumvallationes arcesque muniendas sæpissime avocatus esset.

Opus conscripsit suo tempore celeberrimum de architectura militari [3], cum figuris ab ipso delineatis; primam etiam Alsatiæ mappam annis 1574-1575 universam construxit ad quam fin-

[1] In Hermanni catalogo et apud Strobelium varia manuscripta, nunc destructa, designata sunt quæ fortasse huic periodo adnumeranda essent, sed tam incertus est de iis sermo ut ordine chronologico ea hic inserere nolo, cum præsertim omnia « pulvis et umbra » sint.

[2] De Specklino confer Ludovicum Schneegans in periodico *Elsæssische Neujahrsblætter* (Basel 1847), Ludovicum Spach (*Biographies alsaciennes*, I, Strasbourg, 1866), Richardum Schadow in periodico *Jahrbuch des Vogesen-Clubs* (Strassburg, 1886), et præfationem editionis meæ. (*Fragments des anciennes chroniques d'Alsace*, II. *Les Collectanées de Daniel Specklin, chronique strasbourgeoise du seizième siècle*, fragments recueillis par Rod. Reuss. Strasbourg, Noiriel, 1890, 8°.)

[3] *Architectura von Vestungen, etc.* Strassburg, Zetzner, 1589, in-folio.

gendam, dum provinciam perlustrat, antiquitatis vestigia secutus et collectanea pervaria ad historiam Alsatiæ spectantia quam accuratissime potuit, congessit. Sed, ut jam Schœpflinus habet, « in architectura et geographia sane diligenter versatus, in historicis vero, cœcus et ipse, cœcos duces secutus est[1] ». Antiquitatem certe romanam et germanicam non e fontibus ei cognoscere licuit[2], mediique aevi tempora eo minus, ut ita dicam, intelligere potuit quod ea facillimæ conceptionis æstimavit suoque sæculo comparanda esse statuit. Nec mirum est illum opificem illiteratum in describendis notitiis suis in multos errores incidisse eosque gravissimos[3], laudandus est potius quod ei in tanta eruditionis inopia ad compilandum opus ardor non omnino defuerit. Neque tamen Specklino soli imputandæ sunt mendæ omnes quas in *Collectaneis* facile invenias ; in majorem enim errorum partem ab antecessoribus inductus est, quos nimia fiducia sequebatur[4]. Jam Argentoratensis senatus quum edendi Chronici veniam aedilis noster ab eo petivisset, opus suum « farraginem antiquarum historiarum » non sine supercilio vocabat[5], et certe quidem correcturis valde indigeret. Nemo ex hodiernis historicis chronistæ testimonium de antiquioribus illis sæculis nisi cautissime adducet, quæ vero suo tempore gesta enarrat æstimatione non indigna haberi debent, præsertim quum communem evangelicorum traditionem de cultus et doctrinæ novationibus in urbe, etsi jam fabulis leviter obscuratam, referat. Mala quidem fortuna factum est ut ea quæ e Specklini *Collectaneis* supersunt, maxima de parte ad mediævalia

[1] *Alsatia illustrata*, tom. I, p, 211.

[2] Antiquitates tamen romanas maxima cura per Alsatiam, utpote licuit, notavit et protegi curavit. Cfr. Reuss, *Analecta Speckliniana* in periodico *Jahrbuch des Vogesen-Clubs*, 1886.

[3] Inter quos Johannis modo Gutenbergii litem contra ejus servum Gænsfleischium, Sabinæ magistri Erwinii pseudo-filiæ historiam, quæ de cæremoniis Ecclesiæ ante Bonificium per Alsatiam observatis, de medii ævi hæreticis, etc. refert enumerabimus.

[4] Nec hoc omittendum, Specklinum morte interruptum, opus suum nec recognoscere nec, re vera, conscribere potuisse ; materia rudis et indigesta in Collectaneis nobis ante oculos posita est.

[5] Cfr. Reuss, *Les Collectanées de Specklin*, p. 11.

spectent tempora. Duo erant codicis volumina, quæ post Danielis nostri mortem affinis ejus, Lazarus Zetzner, bibliopola notissimus, magistro Oseæ Schadæo triginta florenis vendidit; ipso Schadæo defuncto, manuscriptum primum in archivo Argentinensi sepositum, nostro vero tempore bibliothecæ publicæ attributum est, graviter jam flammis mutilatum[1] quibus totum succumbere ei in fatis erat. Sæculo tamen XVII a Johanne Wenckero, et sæculo XVIII ab Andrea Silbermanno, et nostro etiam a Ludovico Schneegans, Timotheo Rœhrich, Friderico Piton, viris eruditissimis, cæteris, excerpta sunt volumina, trecentaque fere codicis folia (ab anno 1190 ad annum 1440) integraliter inter manuscripta ab eruditissimo viro, Andrea Jung, bibliothecario civitatis derelicta, propria ejus manu descripta invenimus[2]. Etsi Specklini testimonium nondum a nobis, ut a majoribus, confidenter admittitur, nec falso ignorantia vel simplicitas ejus a doctioribus frequentissime vituperatur, non tamen omni commendatione indignum habeo virum[3] qui certe de industria nunquam veritatem falsificaverit quamvis nimis credulus antecessores secutus sit, et qui, humili loco ortus, diligentissimo studio scientiam historicam, qua carebat, vel acquirere vel augere studuerit.

Imlinianum Chronicon per ultimos sæculi XVI annos descriptum ita designavimus quia initio nostri sæculi in manibus Em. Friderici Imlini, fuit, pictoris Alsatici illo tempore non obscuri, qui codicem inter familiæ suæ reliquias se reperisse primo folio inscripsit[4]. Nescio utrum quidam ex Imliniana stirpe manuscriptum exeunte sæculo compilaverit, quamvis hujus gentis affines

[1] Incendio sane quidem Cancellariæ Argentinensis anni 1686 quo et Archivi pars consumpta est.

[2] Omnia quæ ad Specklini Collectanea pertinent fragmenta nunc in nova bibliotheca civitatis Argentinensis asservantur.

[3] Nuperrime, sacro eruditionis ardore impulsus, in dissertatione academica Argentoratensi nescio quis doctorandus quæstionem posuit num Specklino existendi jus concedendum esset (*ob er noch existenzberechtigt*) neque id negare dubitavit.

[4] *Strassburg im sechzehnten Jahrhundert (1500-1591) Auszug aus der Imlinschen Familienchronik*, herausgegeben von Rud. Reuss. Colmar, Barth, 1875, 1 vol. 8°.

sequenti modo sæculo in patriis annalibus eminuerint, an codex noster anonymus recentiore solum tempore in possessionem Imlinianorum translatus sit; a quibus Carolo Friderico Heitzio traditus, nunc bibliothecam Universitatis Argentoratensis adornat. Cujus pars prima excerpta minime digesta e Kœnigshovio successoribusque continet ita ut nisi nonnulli absurdi et singulares chronistæ lapsus, nihil notandum sit [1]. Sed a folio 55^a ad folium 116^a historiam Argentinensem chronologico ordine ab anno circiter 1516 ad octavum decembris diem anni 1591 enarratam invenimus, ex qua multa, etsi minoris momenti facta ad depingendos illorum temporum mores resque per civitatem gestas extrahi possunt [2]. Tertia vero chronici parte iterum Kœnigshovii cæterorumque narratio excerpitur; nullum tamen chronologicum ordinem secutæ notitiæ ad historiam sæculorum XI-XV pertinentes, brevissimæ, accumulantur; Magistratusque Argentoratensis decreta varia de annis 1526-1534 compilationi finem faciunt, cujus auctor, etsi lutheranis doctrinis adhæret adversarios non increpat infestis verbis et, ut ita dicam, tantum angustiore in circulo sui temporis eventus considerat, externarum rerum parum curiosus.

Chronicon anonymum perbreve minimique momenti asservat bibliotheca Universitatis Argentinensis (sub littera L. 105) circiter anno 1580 conscriptum [3], narrationem summariam ex Kœnigshovio et asseclis, a Nini temporibus ad quinti decimi sæculi exitum jejuna oratione summatam, memoratu dignissimum extremæ contractionis operis antiqui exemplum, nisi forte codex noster, sæculo XVII transcriptus, fragmentum est copiosioris chronici [4].

Vix longiorem nobis expositionem præbet Michaelis Hospeinii *Chronica Alsatica* quæ Colmariæ in bibliotheca publica asservatur mihique a viro humanissimo, Andrea Waltz, bibliothecario, com-

[1] Sic Dagoberti regis tempore notatur fol. 6^a : « *Das landt war sehr vermischt mit der welschen sprache, dass das Elsass schier halber welsch war* », et fol. 135^a narratur regem Attilam exercitus ducem quemdam Etzelium habuisse.

[2] Quæ pars a me sola typis mandata est. Cfr. supra.

[3] Cujus anni mentio fit fol. 10^b nec ullus posterior citatur.

[4] Fortasse Meyerus valde mutilatus dici potest.

modata est[1]. Et in illa canonicus Thomanus maximam textus partem suppeditavit (fol. 1-69b); tum ad annum 1465 continuatores ejus excerpuntur quorum narrationem et apud Fridegarium Mone, Meyerum et Specklinum invenimus, (fol. 69b -78b). Postea vero (fol. 79a), sine ulla transitione, nova series chronicalium exoritur ab anno 1556 ad annum 1587 (fol. 98b), quæ fere omnino, etsi paucioribus verbis notata, cum Imliniana narratione congruit, et sine dubio ex ampliore codice descripta fuit[2]). Fastis consulum, folio 100a inceptis annoque 1592 primum clausis, posteriores manus alia quædam nomina addiderunt. De compilatore Michaele Hospeinio, artium magistro Argentinensi, nihil est quod dicere possim, nisi eum duas tragœdias scripsisse, quarum una, *Dido*, anno 1590 in theatro Gymnasii Argentoratensis, altera, *Eques trojanus*, sequenti anno ibidem acta sit, quæ ambo Argentorati editæ sint[3]. Auctorem igitur paulo post, vel ex urbe natali vel e vita discessisse, quum et consulum series prima manu notata, anno 1592 desinat, supputare licet.

Magno tumultu in Alsatia bello episcopali exorto, quum canonici Ecclesiæ majoris catholici Lotharingiæ ducem Carolum, Metensem episcopum, lutherani vero marchionem Johannem Georgium Brandenburgici electoris nepotem sedi Argentinensi episcopali imponere studerent, non solum hac de re opusculorum politicorum maximus numerus ab una vel ab altera litigantium parte in publicum sparsus est sed etiam narrationes historicæ de hoc bello exstant aliquot, a chronistis Argentoratensibus, bello durante vel paulo post, literis consignatæ. Quorum prima, *Chronicon de bello Argentinensi*, ab Adamo Gualtero Strobel prima vice in diario publico e textu bibliothecæ publicæ evulgata[4] et ab eo patricio

[1] Numero 517 in catalogo bibliothecæ notata est.

[2] Quod, exempli gratia, eo comprobari potest quod fol. 82b copista rubricam quemdam inscripsit, tunc eam partim erasit, addens : « *ist nit nœttig* ». Foll. 91b, 93b etc. legitur : « *Lass spatium, ein blatt* », quod a copista neglectum est.

[3] A. G. Strobel, *Histoire du Gymnase protestant de Strasbourg*, Strasb., 1838, p. 123.

[4] *Chronik des Kriegs der Statt Strassburg* in diario *Affiches de Strasbourg*, Dannbach, 1839, in-4o. Sane quidem e codice narrationem desumpsit quem in suo chronicorum catalogo (Aufschlager, I, p. 147). *Beschreibung des bischœflichen Krieges, 1592*, denominat.

viro, Sebastiano Mueg a Boofzheim attributa est. Eumdem jam textum, sed ad primum martii diem anni 1593 perductum Augustus Stœber in *Alsatia* recudi fecit[1]. Aliam ejusdem recensionem, primis foliis mutilatam sed additionibus ad 13 junii 1594 usque locupletatam in archivo Thomano inveni et accessiones una cum *Relatione belli Alsatici* ex eodem archivo in lucem produxi[2]. Quarum prima cultiore stylo officialique quasi prudentia res et homines commemorat etsi protestantium partibus favet[3], altera mihi a cive inferioris ordinis, ut ita dicam, lutherano ferventissimo magistratuique obnoxio descripta videtur, qui viros etiam in consiliis reipublicæ sedentes proditionis insimulat eorumque acta non semel verbis increpat. Certe quidem auctori venia narrationis suæ typis evulgandæ nunquam a censoribus data esset, imo carcere et vinculis coercitus esset. Sed hoc ipsum efficit ut curiositate dignius videatur opusculum, etsi anonymæ incriminationes vel omnino vel partim falsæ habendæ sunt, quia non multa relicta sunt hujus modi documenta, ex quibus imæ plebis repugnantiam contra reipublicæ proceres, certo temporis momento, perspicere nobis liceat.

Sebastianus ille Mueg a Boofzheim cui relationem belli episcopalis attribuit Strobelius, alia majoris pretii scripta confecerat, hodie deperdita. Inter codices bibliothecæ publicæ Argentinensis asservabantur ante annum 1870 duo volumina in-folio quæ *Monumenta in ecclesiis et claustris Argentinensibus* inscribebantur, quibus inscriptionum sepulchralium omnium per civitatem sparsarum collectio continebatur, eo preciosior quod sæculo sexto decimo mediante, lapidum funerariorum ex ecclesiis multi, quo celerius mœnia nova exstruerentur, deducti perruptique sunt[4]. Autographum *Monumentorum* bibliothecarum nostrarum incendio periit, exemplar autem recentius inter Strobelii κειμήλια servabatur, sed

[1] *Alsatia*, 1861, p. 9-51.

[2] *Relatio Belli Alsatici, Beschreibung des bischœflichen Krieges anno 1592. Eine Strassburger Chronik mit Anmerkungen von Rud. Reuss.* Strassburg, 1878, 8°.

[3] Utrum Sebastiano Mueg tribuenda sit, necne, ex hoc argumento quod litteræ S. M. codici Stœberiano inscriptæ sint, nec affirmare nec negare audeo.

[4] Anno 1552 quum Henricus II, Galliæ rex, urbi appropinquaret.

ab anno mortis ejus (1850) ad hunc diem nusquam repertum est. Fragmenta quædam passim exstant quæ canonicus eruditissimus, Leo Dacheux mox, ut spero, in lucem educet. Idem Sebastianus, Carolusque frater hujusque filius, Sebastianus II, Johannis Friderici Hermanni testimonio, sive Chronicam familiarem ipsius Muegianæ gentis, a Rodolpho II imperatore anno 1582 nobilitate donatæ, ex antiquioribus fontibus descripserunt, aut Ulrici Spachii Chronicon, de quo jam supra diximus, ad annum 1596 continuaverunt[1]. Qua vero de causa codex, qui anno 1870 flammis deletus est, non ultra adnotatus sit, quum tamen Sebastianus senior ad annum 1609 usque vixerit, nescimus[2].

Et multa alia sane quidem tunc temporis chronicalia in manibus civium reipublicæ Argentinensis exstitisse haud cunctanter affirmari potest, nec denegare velim hodierno etiam tempore nonnulla vel in alsaticis vel in externis bibliothecis occultata esse. Sed quanquam sæpius et publice rogavi et postulavi ut mihi de iis notitiæ vel brevissimæ a possessoribus transmitterentur, responsum nullum accepi, atque futuris et felicioribus historiæ patriæ exploratoribus operam committere coactus sum ut codices e pulvere vel obscuritate locorum ubi jacent eruant, simul et hoc solatio recreatus illos eamdem fere materiam in omnibus eodemque stylo notatam inventuros esse, nisi forte labor eorum omnino videbitur inanis[3].

[1] Hermann, *Notices*, I, p. XV.

[2] Sebastianus Mueg, prætor Argentinensis, anno 1609 e vita decessit, Carolus vero frater anno jam 1572 mortuus est. Carolus ille, scholarcha (1562-1572) auctor est notitiarum de rebus scholasticis quæ in primo volumine Protocollorum Scholarcharum in archivo Thomano asservantur. De stirpe Muegiana nec non de collectionibus eorum nonnulla notavit Julius Rathgeber in dissertatione *Die Schicksale einer Strassburger Bibliothek*, in periodico *Jahrbuch des Vogesen-Clubs*, tom. IV, p. 63. Cfr. etiam Ernestum Lehr, *L'Alsace noble*, III, p. 453.

[3] Hoc opusculo jam perscripto, aliud fragmentum historicum, ex chartis Bibliothecæ civitatis Argentinensis nuperrime ab hæredibus doctissimi viri Friderici Reussneri translatis in lucem edere mihi contigit, extractus quosdam *Ephemeridum* seu *Diarii* quod Jacobus a Gottesheim, Argentinensis jurisconsultus, curiæ episcopi advocatus nec non Guillelmi a Honstein, episcopi, vicarius ab anno 1525 ad annum 1543, dum Reformationis tumultus in Argentinensium republica quam maxime grassaretur, conscripserat. Quod si intactum exstaret summi pretii esset ad historiam urbis per illa tempora melius instruendam,

§ 20. De historicis Argentoratensibus saeculi septimi decimi.

Chronicis de quibus diximus etiam scripta quædam ejusdem generis sæculi septimi decimi hic statim adjungere possumus, quum per hoc temporis spatium historiographia Argentinensis quasi impulsu quodam acta antiquam viam sequatur, debiliore tamen cursu, vitalis enim spiritus, ut ita dicam, magis magisque per tot bellorum discrimina eam deficit. Neque mirum; nam quo modo tandem fieri potuisset ut impotentia crescens civitatis in rebus externis atque severitas oligarchici regiminis in illos qui de rebus in urbe ipsa gestis narrationem exstruere cuperent, scribendi studium apud cives stimularent? Itaque opera quæ tunc temporis historiarum nomine ornantur vel academicas tantum quæstiones de antiquitatibus patriæ tractant vel, paucis exceptis, chronicalia minimi momenti judicanda sunt. De dissertationibus eruditis infra verba faciam; hoc paragrapho primum chronicas absolvam quarum pagellas, etsi obscuras tamen paululo longius evolvere velim quam ab antecessoribus meis descriptæ aut notatæ sunt.

Illa chronica, quum fere omnia anonyma sint, difficillimum est ordine chronologico enumerare, nisi eventus coævos habes ab ipsis narratoribus codicibus suis inscriptos, illoque modo quo tempore quisque vel scripserit vel vitam egerit constituere fas est. Quam si rationem ordinandi sequimur, primo loco *Memorabilia quædam Argentorati observata* nominanda sunt, a quibusdam sane studiosis peregrinis circa annum 1605 notata, de moribus, professoribus et locis quibusdam civitatis, quod opusculum permediocris ingenii ex manuscripto Friedbergiæ in Hassia servato nuper ab Augusto Tille exhibitum est[1].

quum et pars altera coætanorum audiretur. Sed paucæ modo notitiæ octo foliis ab anonymo copista, exeunte sæculo sexto decimo, ex codice autographo qui tum in archivo civitatis liberæ includebatur, nunc vero desideratur, excerptæ sunt, et inter manuscripta varia Andreæ Jungii, sæpe jam laudati, ad nostros usque dies, quasi tenuem Gottesheimii imaginem servavit. Quæ fragmenta a me in periodico alsatico mox prelo subjectum iri spero.

[1] *Jahrbuch des Vogesen-Clubs*, tom. VI, Strassburg, 1890, p. 62 ss.

Paulo uberiores sunt notitiæ quas in chronico circa annos 1615-1620 compilato anonymo reperimus, quod bibliotheca nova civitatis Argentinensis ex dono Gustavi Silbermanni possidet; duplex in eo chronicalium continetur series, altera varia facta de annis 1552-1592, altera vero plurima ad annos 1424-1615 exhibens; utraque manu sæculi XVII vel initiante vel mediante exarata nuper a me prelo mandata est[1]. Extractæ mihi videntur ambæ ex chronico majore ad usum civis cujusdam rerum per orbem terrarum universum gestarum nullo modo studiosi, qui Argentoratensi microcosmo soli favebat.

Ampliorem chronicam, anno 1617 circiter compilatam bibliotheca civitatis Argentinensis e collectione domini Ahlfeld, parochi Palæopetrini, comparavit[2], quam ob causam hoc nomine citatur etsi auctor vel compilator codicis quidam H. B. fortasse fuit, quum hæ initiales in tegumento voluminis, imaginibus Hussii, Lutheri, Melanchthonis et Erasmi ornato, impressæ sint. Et in ea Kœnigshovii exordium, Ninum et Semiramidem habemus[3], et fere omnes veteris chronistæ rubricas loco suo invenimus, de origine civitatis, de ædificiis, de monasteriis, de episcopis, etc. Quo in capitulo (fol. 196ª-212ª) notanda de bello episcopali usque ad pacem Haganoensem (1595-1604) exstat narratio quæ nec cum Strobelii Stœberique textu congruit, nec cum altio quem ipse publicavi; facta quædam continet inedita, quæ pars codicis sola editione digna est. Foliis 289ª-355ª farrago continetur amplissima de bellis in Alsatia ab anno 452 ad annum 1610 gestis, quorum ultimum, debellatio archiducis Leopoldi, Argentinensis episcopi, per principes Unionis evangelicæ (anno 1610) a coævo scriptore codici inscriptum videtur. Folio 412ª incipitur capitulum de

[1] *Kleine Strassburger Chronik, Denckwürdige Sachen, allhier in Strassburg vorgeloffen und begeben, 1424-1615, herausgegeben von Rud. Reuss.* Strassburg, Heitz, 1889, 1 vol. 8°.

[2] Fere quingenta folia numerat codex Ahlfeldius, multa vero chartam puram exhibent futuris chronistis reservatam.

[3] Notulam habemus illo loco memoratu dignam : « *Matheus Quad, ein neotericus, halt diss alles für ein fabeley und unmœglich ding* » primum criticæ artis in opere vulgari specimen.

quibusdam rebus, religionis causa, Argentorati actis (1279-1529), ubi et de Martini Lutheri primordiis disseritur; folio 425[a] aliud de tempestatibus, exundationibus, fame (1228-1613); folio 432[b] « supplementa quædam variis ex chronicis excerpta », ad annos 1298-1608 oriuntur, ultima vero codicis rubrica (fol. 466[a]-472[b]) de quibusdam incendiis ad annum 1613 tractat. Perpaucæ notulæ passim posteriore manu ad annum usque 1656 adjectæ sunt.

Quo in manuscripto pauca, sed tamen aliquot nova facta inter tot repetitiones inveniuntur; verum in alio codice bibliothecæ Universitatis Argentinensis (L. Als. 162) multo breviore, post annum 1622 conscripto[1], nihil nisi excerpta e Kœnigshovio et continuatoribus ejus, a diluvio ad finem sæculi decimi et sexti habemus. Varia capitula ad verbum ex antiquioribus fontibus excisa vel abbreviata sunt, fasti consulares (fol. 48-62) ad annum 1585 deducti. Prolixiore narratione bella per provinciam gesta (fol. 90-156) descripta sunt sed nusquam facta quæ aliunde non jam nota sint, invenimus.

Quarto jam loco aliud Chronicon anonymum notandum est quod ex possessoris nomine Ubersaalianum dicimus quum nomen illius notarii publici, qui exeunte sæculo XVIII officio Argentorati functus est, codici inscriptum sit. Ex libris eruditissimi viri Alexandri Straub, capituli Ecclesiæ majoris assessoris ad bibliothecam Universitatis nuperrime migravit, aliquantulum compilationis ratione a ceteris chronicis nostris differens. Duplex enim series imperatorum romanorum a Julio Cæsare ad Carolum VI Austriacum, et regum Francorum a Marcomiro Antenoris filio ad Ludovicum XV primis manuscripti foliis consignata est, ultima vero utriusque catalogi nomina alia jam manu addita sunt. Episcoporum series ad Leopoldum Austriacum (1608), prætorum vero et consulum Argentinensium catalogus ad annum 1624 modo perductus est eodemque tempore codicem conscriptum fuisse

[1] Bellum Mansfeldicum anni 1622 folio 24 citatur sed aliis in chronici partibus nullum ejusdem temporis datum chronologicum invenies.

putamus[1]. Et in Chronico Ubersaaliano a Trebeta exoritur narratio, Kœnigshovio, Chronico Urspergensi et Bernhardo Hertzogio sæpius testibus adductis, in assuetas rubricas divisa; varia tamen ex solito ordine seposita, nonnulla quoque seu ex integro addita, sive nova sub forma relata invenimus, ut capitulum de mandatis Argentinensis magistratus ab anno 1482 ad annum 1612 (fol. 153-185), ut narrationem de mutatione cultus ab anno 1523 ad annum 1559 (fol. 203-246); de bello episcopali (fol. 293-352); de bello Juliacensi anni 1610 (fol. 363-375); de legatione ducis Caroli Angolemensis ad imperatorem, anni 1620 (fol. 401); de festivitatibus post Universitatis Argentinensis creationem inauguralibus, anni 1621 (fol. 403-406); etc. Quæ vero pars maxime memorabilis nobis visa est et digna quæ typis mandetur, relatio est Mansfeldici belli annis 1621-1622 gesti (fol. 407-420) quod in nullo alio chronico, ne apud Walterum quidem (de quo infra) tam singulari rerum expositione narratum est.

Una eademque manu descriptus est codex, exeunte sæculo XVII vel per primos sæculi XVIII annos, sed quod narratio nusquam ultra annum 1625 pergit, non dubitandum est quin ille descriptus sit ab antiquiore manuscripto.

Chronicon cujusdam Josiæ Stædelii, patris bibliopolæ et editoris Argentoratensis notissimi, citant Adamus Gualtherus Strobel[2] et Fridericus Aufschlager[3], quod in civitatis Argentinensis bibliotheca priore asservabatur, in tres partes divisum; quarum prima historiam sacram, secunda historiam profanam universalem, tertia vero urbis et episcoporum historias cum armoriali splendide depicto continebat. Ad annum 1618 deductum fuisse dicitur manuscriptum quod anno 1870 flammis consumptum est.

Easdem vices Heinrici Kugleri Chronica perpessa est quatuor tomis ab auctore conscripta; tres vero primi jam ineunte sæculo

[1] Ultimum chronici folium narrat conflictum seu concursum duorum gregum in ponte Rheni Argentoratensi, quod die 25 novembris anni 1625 accidit. Illo igitur anno chronista finem imposuit labori suo.

[2] *Vaterlændische Geschichte des Elsasses*, IV, p. 483.

[3] *Das Elsass*, I, p. 145.

nostro deficiebant et quartus modo, res in Alsatia per annos 1622-1626 enarrans, testibus Johanne Friderico Hermanno[1], Friderico Aufschlager[2] et Adamo Strobel[3], exstabat in bibliotheca civitatis Argentinensis, nunc et ipse pulvis et cinis. Quorum testimonio si fidem habeamus, multo copiosior ceteris Kugleri fuit narratio de rebus suo tempore gestis, et ejus deperditio valde deploranda, quum auctoris familia per sæculum XVII inter primarias civitatis numeranda esset. De persona ejus nihil certi adducere possum quum mihi nunquam codicis inspiciendi facultas vel occasio data sit. Verisimile mihi videtur, illum patrem Johannis Heinrici Kugleri, legionis tribuni, anno 1671 Argentorati defuncti[4] et Johannis Jacobi Kugleri, reipublicæ per annos 1664-1672 tredecimviri patruum fuisse[5]. Ne minutissima fragmenta quidem ex Kugleriana relatione supersunt.

Et Johannis Georgii Saladini, pharmacopolæ, Chronicon Argentoratense in numero optimorum hujus generis scriptorum ponendum est, si e quibusdam excerptis nobis ab Andrea Silbermanno servatis, dijudicare licet[6]. Ad annum 1610 primum ab auctore deductum dicitur; variis tamen additionibus ad annum usque 1621 narratio continuabatur et inter fragmenta unicum exstat ad annum 1633 pertinens, ita ut ad hoc temporis spatium, sive ab ipso, sive a continuatore chronici quodam ex familia sua narrationem perductam fuisse, credere fas sit. Morum pravitatem in patria, ineunte bello tricenni, non fucate demonstrat, et codici suo tabellas de nativitate, de matrimoniis et decessu civium annuatim inscripserat, et ex ejus præsertim manuscripto Silbermannus notulas de trans-

[1] *Notices*, I, p. XVI.

[2] *Das Elsass*, I, p. 144.

[3] *Vaterlændische Geschichte*, IV, 484.

[4] De quo vide Reuss, *Geschichte des Neuhofs*, p. 46. Si Kochio credas (P. Le Long, *Bibliothèque historique*, III, p. 588) et ipse chronici auctor tribunus militum (*major de la ville*) fuit, nisi eum cum filio commutat.

[5] Confer F. Reisseissen, *Aufzeichnungen*, ed. Reuss, p. 56.

[6] *Historische Merkwürdigkeiten aus den Silbermænnischen Schriften gezogen* von J. Friese. Strassburg, 1804, in-16, p. 97, 102, 103, 109, 115, 155, 156, 157, 163, 167, 177.

actionibus et commerciis reipublicæ per annos 1601-1620 extraxit[1]. Quo tempore a vita discesserit nescimus; fuit illius sane quidem Johannis Caroli Saladini vel pater, vel potius avus, qui anno 1656 senatui majori Argentoratensi adscriptus, 1680 collegii Quindecimvirorum assessor, eodem anno decessit[2].

Johannis Heinrici Gambsii Chronicon, a viro eruditissimo Carolo Schmidt bibliothecæ novæ civitatis Argentinensis dono datum, etiam primæ sæculi parti adnumerandum est[3]. Codex est 206 foliorum, in quibus pleraque ex Kœnigshovio et continuatoribus excerpta sunt[4]; historiam antiquam brevissimam de urbe Trojana, de Nabuchodonosore, de Alexandro Magno, de imperatoribus romanis ad calcem operis separatim invenies, ex Kœnigshovio epitomatam. Fasti consulares cum notis variis ad undevicesimam februarii diem anni 1614 perducti sunt[5] et hoc in capitulo perpaucæ majoris momenti notitiæ colligendæ sunt. Caput de episcopis anno 1607 sistitur[6]. De auctore, nisi nomen a Carolo Schmidtio in tergo notatum, nihil nobis traditum[7].

Deperditum est contra Jacobi Trauschii Chronicon, tribus olim voluminibus conscriptum[8], illis fragmentis exceptis quæ vir sæpe jam laudatus, canonicus Leo Dacheux nuper in lucem edidit[9], qui et Trauschii vitam eruditissimo calamo depinxit. Fuit auctor licenciatus juris et procurator senatus majoris reipublicæ Argentinensis, teste notitia Reichardti genealogica, octavo die mensis

[1] Friese, *Hist. Merkwürdigkeiten*, p. 202 ss.

[2] Reisseissen, *Aufzeichnungen*, p. 65.

[3] Folio 101ª opusculum Guillimanni de episcopis Argentinensibus citatum est, quod anno 1608 in lucem prodiit; citatio Kœnigshovii ex editione Schilteri (1698), postea addita est folio 22ª.

[4] « *Volgen etliche stückh von Strassburg auss andern büchern geschrieben.* »

[5] Fol. 142ᵇ.

[6] Fol. 147ª-167ª.

[7] Fortasse Johannis Sebastiani Gambsii pater fuit, Argentinensis jurisconsulti, qui anno 1621 natus, in Academia patria historiarum (1649), tum juris professor fuit (1654) et anno jam 1658, nondum quadragenarius e vita decessit.

[8] Volumen I 395 foliis, ad annum 1400 narrationem deducebat, vol. II vero 492 foliis ad annum 1554, vol. III denique 400 foliis ad annum 1667.

[9] *Fragments des anciennes chroniques d'Alsace*, III, p. 1-73.

aprilis anni 1610 defunctus[1]. Quum vero narratio ad annum 1677 continuata sit, illa primo loco a fratre Jacobi, Heinrico Trauschio (1572-1636), Argentoratensi consule, porro deducta, tum a variis conscripta fuisse videtur, inter quos Ludovicus Schneegans Kunastium, auctorem operis quod *Argentoratum sacro-profanum* inscribitur nescio quo jure indicat. Codicis præfatio, ut vir eruditissimus Augustus Hanauer, qui Trauschii chronico sæpius in voluminibus suis usus est affirmat[2], anno 1633 attribuenda est. Quum vero casu miserrimo opus illud nostris ex oculis evanuerit, difficillime hæc omnia eruentur. Quisquis fuit autem codicis præcipuus compilator, eum virum exculti ingenii fuisse ex notitiis servatis apparet qui docto apparatu materiam veterum chronicorum augere tentavit quum Jacobum Wimphelingium, Sebastianum Munsterum, Johannem Aventinum, Johannem Jacobum Fuggerum, Gasparum Enssium aliosque in margine adduxerit. Sed de suis præsertim temporibus multa notatu digna annalista noster ad res œconomicas pertinentia commemoravit, qua de causa totius operis destructionem magis dolere cogimur[3].

Si scriptoribus quos supra diximus historici muneris honores a criticis denegari possunt, quum vestigia tantum chronicorum supersint, Oseam Schadæum eum auctorem invenimus cujus scripta et hodierno tempore, licet partim, examinare possimus. Natus est Argentorati, ubi pater ejus, Elias Schad, hebraïcæ linguæ in Academia professor erat, duodecimo die aprilis anni 1586; magister artium creatus anno 1606, primum evangelii minister apud Hurtigheimenses et Duttlenheimenses (1607-1613), tum diaconus in templo S. Petri senioris in patria urbe fuit. Anno 1622 pastor primarius in templo S. Nicolai promotus, vicesimo

[1] Sæculi XVII is fuit eruditissimus genealogicus Argentoratensis qui indefesso labore immensum de familiis Argentinensibus opus congesserat, multis voluminibus inscriptum, incendioque anni 1870 destructum.

[2] Hanauer, *Études économiques sur l'Alsace ancienne et moderne*, II, p. 27.

[3] Non tamen ex servatis chronici fragmentis totius operis natura correcte deduci potest quum Augustus Hanauer modo quæ ad rem œconomicam, Ludovicus autem Schneegans quæ ad historiam artium spectabant excerpserint, cætera in loco derelinquentes.

septimo die decembris 1626 obdormivit. Dum officio ecclesiastico fungitur, historica quoque studia impiger colebat. Anno 1617 descriptionem ecclesiæ cathedralis Argentinensis fusiorem cum multis figuris aere incisis evulgavit, et hodie magni æstimatam [1]; sequenti vero anno a magistratu petivit ut sibi Chronicon Argentoratense in lucem proferre liceret, quod a consiliis reipublicæ, commissariis quibusdam traditum est ut manuscriptum diligentius examinarent [2], sed non in lucem, nescio qua de causa, productum est.

Paulo post Sleidani Commentariorum translationem germanicam et continuationem quatuor voluminibus edidit (1624) [3] quam ad historiam primorum decennium sæculi XVII melius cognoscendam pro tempore utilissimam dicere possumus nec ipso Sleidano omnino indignam [4]. Et brevem Chronicam ecclesiasticam Argentinensem, ab anno 1515 ad annum 1621 scripsit quæ in Archivo Thomano servatur, nihil tamen inediti continet. Quin idem Chronicon Argentoratense scripserit, allegatis insuper publicis protocollis, in dubium non vocandum est, et in bibliotheca nova civitatis exstat codex, antiqua dorsuali nota *Chronicon Oseæ Schad* inscriptus, qui sub hoc vocabulo vel ab aliis vel a memet ipso allegatus est. Nec falso, quum in primo voluminis folio legas : « Sum Magistri Oseæ Schadæi Argentinensis, diaconi ad S. Petrum seniorem, 1614. » *Illius* tamen chronici *auctorem* Schadæum fuisse negare necesse est, quum ex præfatione versibus exstructa satis constet opus a Michaele Kleinlawel bibliopega compilatum et anno supra dicto Oseæ nostro venumdatum fuisse. Narrat ibidem longissime ho-

[1] *Summum Argentoratensium templum, d. i. aussführliche Beschreibung des viel künstlichen und berühmten Münsters, etc.* Strassburg, 1617, 4°.

[2] Protocolla XIII, 3. Martii, 14. Aprilis 1618, XXI, 27. Aprilis, 17. Julii 1618.

[3] *Sleidani veri et ad nostra tempora usque continuati, d. i. Wahrhaftige Beschreibung allerley furnemmer hændel und geschichten so sich... biss auff das 1620 jahr... zugetragen...* durch Mag. Oseam Schadæum, Strassburg, Chr. von der Heyden, 1623-1625, 822 pag. folio. — Michaelis Beutheri continuationem et præsertim illam a Conrado Lautenbachio, defuncto pastore Hunawihrii in Alsatia superiore scriptam transtulit, tum et auxilio amicorum Johannis Marbachii et Ludovici Gremppii ex actis manuscriptis a viris politicis sibi communicatis libros ultimos addidit.

[4] Cfr. etiam Wegele, p. 351.

nestus artifex se Duttlenheimensi parocho, communi amore et studio patriæ conjuncto, notitiarum codicem ab ipso collectum cessisse, cui Schadæus ipse paucissima modo sparsim sua manu adjecit[1]. Inscribitur *Strassburgische Chronica von wem die statt Strassburg und diss Elsass seinen ursprung genommen*, etc. Omnia Kœnigshovii capitula in unam chronologicam relationem redacta sunt, nec ad finem registrum canonici Thomani deest ; ornatæ sunt paginæ multæ insignibus *tribuum* seu confraternitatum opificum, consulum (ab anno 1332) et episcoporum (ab anno 1006). Præmissa est, post procemium, series pastorum nec non professorum Academiæ et Gymnasii (fol. 30ᵇ-35ᵇ) ; nova tum paginatione a Nino Assyriorum rege exoritur narratio propria, quæ Kœnigshovium, ut exemplum afferam, in bello Waltheriano anni 1262 fere ad verbum transcribit, tum Meyeri Chronicam (aut saltem eamdem quam Meyerus ipse ante oculos habuit) sequitur nec non illam cui nomen Ahlfeldiam dedimus, præsertim in bello episcopali annorum 1592-1595 enarrando. Quæ a Kleinlawelio congesta sunt, folio trecentesimo quinquagesimo tertio (ad annum usque 1613) desinunt ; ultima sex folia Osæi Schadæi manu, ad annum 1615, conscripta sunt.

Sequitur *Appendix* eventuum miscellaneorum[2] quos dum chronicam condebat suam, variis e fontibus collegerat Michael Kleinlawelius ipse (fol. 1-157)[3] ; cui nonnunquam a Schadæo continuatore inserta est pagella, parvi plerumque momenti. Cujus dissimillimæ sunt appendices duæ quæ codicis ultima folia implent (fol. 167ᵃ-179ᵇ), quæ *Mirabilia urbis Argentoratensis* ad usum peregrinorum vocare possumus[4]. Enumerantur ædificia,

[1] Sic folio 119ᵃ *Chronicon Hospitalis majoris* excerpsit nobis plane incognitum.

[2] « *Appendix oder Anhang etlicher Historien und Geschichten welche in vorhergehenter Chronick entweders übersehen, ausgelassen, oder seit der zeit her... erst in erfahrung gebracht worden sind.* »

[3] Ultima Kleinlawelii notatio ad 24. maji anni 1613 Schadæi vocationem ad parochiam S. Petri senioris enarrat.

[4] « *Erstlich ist zu mercken die herrlichkeiten, was in der statt Strassburg zu sehen ist* » et « *Der begriff, bezürckh oder weitte der statt Strassburg von einem thor zum andern, anno 1580.* »

strata, vici, domus, etc.; quæ documenta jussu superiorum anno 1580 compilata (sed non a Schadæo, id quod vix necesse est addere) si quis topologiæ patriæ amator divulgaret, de posteris optime mereretur.

Alterum a Michaele Kleinlawelio *Chronicon Argentoratense* conscriptum esse constat, etsi operis titulo nomen ejus non præfixum est[1]. Id non soluta oratione sed versibus scriptum est, ita tamen ut e codice antea delineato materiam sumeret illamque poetico sermone, quamvis inculto, phonascorum more verteret[2]. Liquet sancto amore patriæ bibliopegam honestissimum ad hunc laborem impulsum esse quo facilius cives Argentinenses majorum virtutis meminissent, qui ad illum diem chronica carebant, quum Colonienses, Norimbergenses, Spirenses, alii jam ejusmodi chronicis delectarentur præconesque gloriæ suæ apud posteros haberent[3]. Etsi Parnasso germanico versus non valde digni sunt et auctor inter omnia ingenia parum critica hujus aevi inopia criticæ artis eminet, hoc tamen honore a nullo spoliari potest, eum primum fuisse qui Chronicon Argentoratense prelo submiserit, completum[4]. Nec ignorantiæ vel errorum causa incriminandus est, nam modeste, « civis litterarum rudis », historici scriptoris officium recusat.

Michaeli Kleinlawelio fere coætanus est Andreas Goldmeyer, Guntzenhusianus in margraviatu Onolsbacensi anno 1603 natus, qui ineunte anno 1632 primum ex Universitate Altorfiana Argen-

[1] *Strassburgische Chronik oder kurtze Beschreibung von ankunft, erbaw- und erweiterung der statt Strassburg... mit fleiss zusammenbracht durch einen liebhaber der teutschen Poeterey.* Strassburg, bey Carolo, 1625, V, 201 p. 4°. Ex versibus Gaspari Brulovii, Gymnasii tum rectoris, volumini nostro annexis Michaelem Kleinlawelium « auctorem hujus chronologicæ descriptionis » fuisse novimus.

[2] Argentorati tum phonascorum fraternitas (*Meistersænger*) exstabat; num noster ejus tabulis adscriptus fuerit, affirmari non potest quod archivum fraternitatis in bibliotheca civitatis asservatum incendio anni 1870 destructum est.

[3] Quibus verbis auctor ipse in prooemio utitur.

[4] Quam gratus apud cives fuerit etiam inde apparet quod in secunda sæculi parte, opus Kleinlawelii, manu descriptum, sæpius in familiis Argentinensibus servabatur.

toratum venit unde brevem post commorationem expulsus est quia Gustavi Adolphi mortem prænuntiabat. Sueciæ vero rege in pugna Lutzensi defuncto, in urbem rediit ibique fastorum annuorum compilator (*Kalendermacher*) divinationis suæ causa ad favorem pervenit. Norimbergam tum profectus ab imperatore Ferdinando III comes palatinus creatus, nihilominus in Norimbergensium hospitio vitam miseram anno 1664 finivit. Is quo tempore sedem apud Alsatos habebat *Chronicon Argentoratense astrologicum* consarcinavit, unica hac ratione commemoratione dignum, quod quam superstisiosæ illius sæculi mentes fuerint docet et demonstrat[1]. Adjecta est descriptio summi Argentoratensium templi[2]. His in opusculis, ut exemplo utar, enuntiat urbem die Mercurii quarto decimo junii mensis anno 2683 post mundi creationem, hora prima post meridiem (anno igitur 1101 ante Ch. n.) fundatam esse, ecclesiamque cathedralem tertio decimo die aprilis anni 1015, ad decimam diei horam (ne temporis punctum quidem deest) inchoatam fuisse affirmat. Qua vero scientia instructus opus suum aggressus sit ex hoc apparebit quod Argentinam civitatem a Philippo II *Galliæ rege* anno 1198 obsessam esse profitetur[2].

Opera historica quæ jam enumeranda sunt, re vera chronica dici non possunt, sed tamen hic raptim indicari debent ne postea criticus quidam stomachosus ob silentium me reprehendat. Johannes Gasparus Bitschius, Hagenoæ 5 aprilis die, anno 1579 natus, Gymnasii primum Argentoratensis præceptor, tum in Academia historiarum professor (1608), et hac in urbe, secundo decembris die, anno 1636 denatus, *Collectanea historica* ad complementum chronici Kœnigshoviani congesserat[4]. De quibus quum nobis nihil notum sit nisi quod Adamus Strobelius notitia quadam

[1] *Strassburgische Chronicka astrologisch beschrieben... mit fleiss zusammengetragen* durch Andreas Goldmeyer. Strassburg, bey Eberhard Welper, 1636, 95 pag. 4°.

[2] *Argentoratensium Templum Summum, d. i. eigentliche Beschreibung, etc.* Strassburg, anno 1636, 35 p. 4°.

[3] *Chronicka*, fol. 29.

[4] Aufschlager, *Das Elsass*, p. 142.

perbrevissima refert[1], difficile est discernere utrum illa collectanea fuerint commentationes eruditæ sive excursus ad canonici Thomani textum spectantes, an textus alii documentaque ex archivis extracta. Exstabant in bibliotheca Seminarii protestantium sed incendio anni 1870 deleta sunt.

Memoriale de reformatione Ecclesiæ Argentinensis Johannis Friderici Schmidtii, jurisconsulti peritissimi et inde ab anno 1613 reipublicæ consiliarii, historicis scriptis hujus temporis adnumerari potest[2]. Cujus auctor per longas negotiationes de Edicto Restitutionis peragendo (1628-1630) magistratus causam adversus commissarios imperatoris et pontificios strenue defendit et jussu superiorum memoranda illa conscripsit, ubi juridicis potius argumentis quam expositione eventuum historica, jura et beneficia reipublicæ contra episcopum Argentinensem capitulumque Ecclesiæ majoris tuebatur, qui partem antiquorum bonorum, sæculo XVI catholicis ereptorum post lutheranorum cladem sibi vindicabant. Non reperias igitur historiam reformationis Argentinensis enarratam ut ex operis suscriptione existimari potest et prudenter ea quæ ab auctore allegantur cum ipsis archivorum documentis conferenda sunt. Exemplaria Memorialis varia exstant in bibliotheca Colmariensi, in bibliotheca Universitatis, in archivo S. Thomani capituli et in bibliotheca nova civitatis[3].

[1] « Collectanea historica conscripta et præsertim ad complementum chronici Kœnigshoffii quod Argentorati 1698 in-4° impressum, collecta a Johanne Casparo Bitschio, Argentorati anno 1698 et 1718, 4° (Bibliotheca Seminarii, n° 1294). » Quæ doctissimi viri notula ita confuse descripta ut facile Bitschium anno 1718 adhuc vixisse credas. Exemplum sane quidem opusculi eo anno a quodam anonymo confectum est.

[2] *Summarischer Bericht und Erzehlung was von dem Jahr 1518 biss auff gegenwärtige zeit wegen Abschaffung des bapsttumbs und sonsten der religion halben in der statt Strassburg merckwürdiges vorgeloffen, auss beglaubten alten schrifften, prothocollen und verzeichnissen mit fleiss extrahiret* durch Joh. Frid. Schmidten, beyder rechten doctorn, comitem palatinum und der statt Strassburg advocaten, 1628. »

[3] Mscr. n° 292, 142 pag. folio. Schmidtii Memoriale nihilominus dignum esset quod in lucem ederetur quum per longum sæculi spatium quasi armamentarium fuit ex quo lutherana pars magistratus Argentinensis, post capitulationem anni 1681, argumenta contra vindicationes adversariorum sumebat. Idcirco documentum et ipsum non minimi pretii ad melius cognoscenda sæculi XVII ingenia habendum est.

Sequentia documenta citare vix ausus essem nisi exemplis demonstrare opporteret, non honestiore loco nati solum sed etiam humiliores cives illis temporibus quæcunque in domestica vita, in bonorum administratione, eis eveniebant, omnia præterea quæ vel e propinquis vel e remotis terræ regionibus audiebant, in tabulis (*Hausbuechel*) collocasse. Itaque et Memoriale Christophori Kolleffel hic nominari potest, qui vicesimo primo januarii die anno 1541 natus, anno 1597 in consilia reipublicæ receptus annoque sequenti quindecimvir creatus est; anno 1619 adhuc inter vivos degebat. Is in diario, inter notulas permultas de historia familiæ suæ propria varia de rebus ecclesiasticis, nec non de negotiis externis, licet modici pretii, consignavit[1]. Et *Notanda* Laurentii Fritschii, vitriarii, in archivo Argentinensi asservata, commemoranda sunt: in quibus omnia promiscue collocata, versus ab ipso compositos permediocres, formulas de re coquinaria quasdam, acta litis in uxorem, adulterii causa, anno 1616 illatæ, alchymiæ divagationes, etc., de rebus vero politicis nihil invenimus[2].

Ad alteram jam septimi decimi sæculi partem pertinent tria chronica Argentoratensia quæ, variis de causis, optimis hujus generis scriptis adnumeranda sunt quum a viris, qui reipublicæ rebus interfuerunt compilata, relationem temporum gravissimorum amplectantur. Quorum, ordine chronologico si utimur, primum locum occupat Chronicon Wenckerianum ad nostram memoriam in bibliotheca Seminarii protestantium servatum, anno vero 1870 igne combustum[3]. A diversis auctoribus ex illustri stirpe Wencke-

[1] Codex in bibliotheca Universitatis Argentoratensis asservatur, 57 foliis in-16 sub signatura L. 183.

[2] Excerpta quædam edidit Ernestus Martin, sub titulo *Notizen eines Strassburger Bürgers um 1625* in periodico *Jahrbuch des Vogesen-Clubs*, VII, 1891, 109-116.

[3] «*Summarische Chronik und Zeitregister der statt Strassburg, von den zeiten Caji Julii Cæsaris biss in das sæculum nach Christi geburt... sechzehnhundert*», tribus voluminibus in-folio inscripta. Ampliorem notitiam benevolus lector in editione fragmentorum chronici a canonico L. Dacheux nuperrime data inveniet. (*Fragments des anciennes chroniques d'Alsace*, III, p. 77-207) ubi fusius de Wenckeriana stirpe disserit vir eruditissimus.

riana continuatum est vel auctum postquam Johannes Wencker, anno 1590 natus et reipublicæ Argentinensis consul (1644) id anno 1637 inchoavit. In præfatione operis, tertia die decembris descripta, auctor non nitidam historiam sed modestos modo annales se delineaturum esse dicit[1]. *Chronica summaria* historiam universalem et urbis Argentinensis historiam antiquiorem, non tam more chronistarum sed multis eruditis deductionibus conscriptam, amplectitur, *Registrum* vero, sub annalium forma, historiam imperii romano-germanici ab anno 1300, multis documentis ex archivo civitatis locupletatam fataque reipublicæ Argentinensis ad annum mortis ipsius consulis (obiit decimo sexto die octobris 1657) continuat. Quæ de rebus sæculo suo gestis vir strenuus, optime informatus enarrat, ex authenticis documentis concinnata, maximi sunt pretii, quoad adhuc exstant. Johannis Wenckerii filius junior, Jacobus, anno 1633 natus[2], paternam narrationem porro tractavit et ipsius filius, Jacobus (II)[3], anno 1668 ortus, archivi Argentinensis custos eruditissimus, tertiam operis partem ad annum usque 1709 absolvisse videtur, si criticis quibusdam fidimus[4]. Doctissimæ ejus dissertationes quibus Wenckerianum nomen per omnes Germaniæ regiones illustratum est[5] ad sæculum octavum decimum pertinent, sed hic præsertim de continuatore chronicæ familiaris agitur, si re vera hujus operis particeps fuit, id quod post demonstrationem editoris fragmentorum

[1] « *Nicht eine zierliche historie oder færmliche chronik, sondern ein schlechts zeit- und jahresverhæltniss.* »

[2] Jurisprudentiæ studium tum in universitate patria, tum in variis Galliæ academiis adiit, publicis postea officiis ab anno 1665 functus, et ipse consul prima vice creatus est anno 1682, et vicesimo secundo die octobris anni 1715 obiit.

[3] Anno 1693 archivarius civitatis, postea quoque consul factus, mense januario anni 1743 e vita decessit.

[4] Hegel, *Chroniken*, I, p. 71.

[5] Collectanea juris publici. Argentorati, 1702, 4°. — Apparatus et instructus archivorum. Argentorati, 1713, 4°. — Collecta archivi et cancellariæ jura, Argentorati, 1715, 4°. — Et *Collectanea* historica manu scripta, pluribus in voluminibus aggregavit, quæ nunc partim in Archivo civitatis, partim in archivo Thomano recondita sunt.

recentissimi mihi valde dubium videtur[1]. Opus ipsum flammis voratum est. Sed e fragmentis non exiguis ab historiarum scriptoribus sæculi nostri ante annum 1870 excerptis judicare possumus quanti Chronicon Wenckerianum fuerit et ejus amissionem eo vehementius deflemus.

Feliciore fortuna usum, *Chronicon Argentinense* Johannis Walteri pictoris suo tempore celeberrimi nec non senatus majoris in urbe patria assessoris adhuc autographum in bibliotheca nova civitatis asservatur. Argentorati natus est auctor sub finem sæculi sexti decimi, et initio belli tricennis Germaniam mediam et inferiorem peragravit; tum aliquot annos Lutetiæ Lugdunique commoratus iter fecit per Helvetiam (1625-1626); postquam deinde brevi tempore Argentorati vixit, apud diversos Germaniæ principes, arti suæ deditus subsedit. Domum denique reversus, anno 1659 a civibus in senatum reipublicæ majorem electus est, qua dignitate ad finem vitæ functus esse videtur. Chronica Walteri mense decembri 1676 non abrupte clauditur et ipse ab anno 1677 in catalogo senatorum deest; quum tamen in repertoriis parochiarum hujus anni mortis ejus mentio nulla reperiatur, fortasse etiam ille anno supradicto ex urbe migravit, alio loco mox moriturus senex[2]. Pictoriæ artis suæ notissimum specimen, *Ornithographiam*, anno 1657 absolutam, servat Musæum Albertinum Vindobonense[3]. Chronica ejus ex reliquiis Andreæ Silbermanni topographi eruditissimi, bibliothecæ civitatis novæ donata est anno 1873 a nepote Gustavo Silbermanno, typographo notissimo, et paulo post apud bibliopolam Stuttgartianum aliud ejusdem chro-

[1] Cfr. L. Dacheux, *Fragments*, III, p. LXXV-LXXVI) ubi argumenta Carolo Hegelio opposita perlucide exposita sunt. Nec tamen verisimile mihi videtur Jacobum juniorem, studiis historicis addictum, nullas additiones, ne minimas quidem, operi majorum affixisse; si autographum adhuc exstitisset unius temporis momenti labor esset codicem inspicere et Wenckerii junioris chirographum recognoscere bene notum, sed nunc res sane quidem in dubio remanebit.

[2] Vide de Walteri vita quæ in præambulo chronici, quoad a me in lucem editum est, congesta sunt.

[3] De hac splendida collectione et speciatim de *Ornithographia* cfr. Eugenii Muntzii dissertationem *De quelques œuvres d'art alsaciennes, etc.* in *Revue d'Alsace* anni 1872.

nicæ autographum Walteri, sed brevius, et minus calligraphice delineatum invenire mihi bibliothecæque prædictæ cimeliis adnumerare contigit.

Scriptus est primus codex annis 1674-1676, quibusdam picturis auctoris haud admirandis ornatus, cui titulus « *Chronicon Argentoratense, hoc est Kurtze beschreibung von anfang, erbaw und erweiterung der heyl. Rœm. Reichs freyer statt Strassburg, so viel man dessen auss bewehrten historien erkundigen und haben kœnnen... verfasst und beschrieben durch einen historischen Liebhaber.* » Trecentis foliis historia urbis a diluvio ad annum 1676, primum brevius, tum ab initio sæculi septimi decimi, fusius enarrat, omnes antiquitatis fabulas candide repetens[1]. Viginti septem prima capitula ad sæculum XVI ex Kœnigshovio et continuatoribus, non obsoleto tamen sed recentiore sermone, breviter excerpta sunt; annorum 1517-1618 historia aliis e chronicis compilata videtur, nec capitula quæ huic sæculo consecrata sunt quidquam novi continent, tricesimo vero quinto, tempora belli tricennis adit auctor et quæ ipse vidit quorumque pars, etsi minima fuit indefesso calamo quotidie inscribit et ad finem fere vitæ, quasi in diario non res modo et eventus sed et pia vota et affectus animi varios sincere notat. Eo libentius ejus narrationi confidimus quod Walterus cultum ingenium, in aulis principum educatum nec humanarum vicium ignarum exhibet, nec religionis invidia animus ejus turbatur; nam etsi lutheranorum partes tenet, tamen sæpe apud principes catholicos vixit, et Leopoldum Guillelmum Austriacum, Argentinensem episcopum, delitias generis humani vocat (fol. 241ª). Quæ procul a patria evenerunt ei minus cognita et brevius tractata, quæ vero circa Argentoratum acta sunt, meticulose descripta sunt. Si superstisiosus ipse, multas horrendas ridiculasque historias de larvis, strigis, visionibusque lectoribus affert, valde singularia etiam multa de moribus et institutis coævorum notat, quæ historicis ad illustrandam illorum temporum historiam

[1] Sic folio 24ª ingenia futilia (*Weltmenschen*) eorum vituperat, qui de S. Materni miraculis dubitant.

grata et utilia erunt. Nemo coætanorum affectus Argentinensium civium per longa Ludovici XIV bella fideliore calamo expressit quam Walterus noster, qui Austriacis nullo modo devotus, tamen interdum Gallos acriore sermone increpat, si quis eorum Alsatiam ferro et igni vastabat. Quantum periculum libertati patriæ in dies debilioris immineat conscius animus ejus gradatim in sollicitudinem ac mœrorem incidit et inter lamentationes et lacrimas senis ætate maxime provecti narratio desinit. Capitula chronici quæ ad bellum tricenne spectant olim jam prelo mandavi [1], nuperrime vero narrationis partem qua bellum hollandicum ab anno 1672 ad operis finem exponitur cum translatione gallica in lucem edidi [2].

Ultimus denique Argentinensium historiographorum, ille qui nobis interitum reipublicæ jamdudum labentis enarrat, Franciscus est Reisseissen, Jacobi Philippi Reisseissen consulis filius, et ipse sexies consul ante et post capitulationem civitatis. Natus vicesimo sexto die octobris anno 1631, postquam jurisprudentiæ studium in universitate patria absolvit, per annos duos Galliæ et Hollandiæ academias frequentavit, Angliam quoque raptim visitans, et Argentoratum redux honorum cursum ingressus, anno 1659 scabinus, 1663 senatus majoris assessor, 1669 quindecimvir, 1675 tredecimvir, 1677 prima vice consul designatus est, quod officium regularibus intervallis ad annum usque 1706 exercuit. Anno 1678 munimenta apud pontem in Rheno factum cum militibus mercenariis reipublicæ contra ducem de Créqui frustra defendere conatus est; ad omnes fere duces exercituum in Alsatia debellantium nec non ad principum ministros negotiator missus est, et post Ludovicum regem, Delphinum, tum Burgundiæ ducem in urbem ingredientes nomine civium excepit, quum fata civitati antea liberæ libertatem abnuissent, novo regimini satis conciliatus,

[1] *Strassburg im dreissigjæhrigen Kriege, Auszug aus der Chronik J. J. Walters herausgegeben von Rud. Reuss.* Strassburg, Treuttel u. Würtz, 1879, 4°.

[2] *Le peintre Jean-Jacques Walter et sa chronique strasbourgeoise* in periodico *Annales de l'Est* quod Nancei apud Berger-Levrault litterarum facultas hujus Universitatis evulgat, annis 1895, 1896, 1897, passim.

donec vicesimo tertio die decembris anni 1710 subita morte suis et patriæ ereptus est. Vir erat, si non heroico animo, honestissimus tamen inter optimates qui illo tempore Argentinensium rempublicam regebant,ingenio et integritate eminens, quem per quadraginta annos rerum Argentoratensium vel externarum vel internarum nihil fugiebat.

Non omnia certe quidem nobis enarrat quæ quum inter præcipuas dramatis illius personas interesset vidit audivitque et prudenti silentio gravissima sæpe facta prætermittit, sed ex iis quæ in *Memoriali* narrantur, quod ad suum ipsius usum chartis intimis inscribebat, non difficile est imaginem fidelissimam effingere ultimarum dierum reipublicæ et transitus in Borbonicorum dominationem, cui transitui per triginta longos annos testis prudens et sollers nec adeo hostilis interfuit. Ad Walteri igitur Chronicon continuationem pretiosissimam narratione sua affert, quæ « *Memorial unsern staat betreffend* » inscribitur, et in qua, ab anno 1667 ad annum 1710 (aut potius ad annum 1701, nam de annis 1701-1709 fere nihil in diariis notavit) fideliter quæ ad res Argentinenses spectabant chartis secretis inscripsit. Codex autographus, ab ultimo Reisseissenianæ stirpis Friderico Carolo Heitzio traditus ad nostra usque tempora latuit, donec ex ejus collectione, quæ bibliothecæ Universitatis incorporata est, consulis narrationem in lucem edidi [1].

Paulo post a viro humanissimo Carolo Oesinger, qui et ipse e filia Francisci nostri ortus est, alius codex minoris complexus exhibitus est in quo consul notitias familiares, ex anterioribus annis, collegerat, quem etiam prelo mandavi [2], etsi fragmentum modo est, pars enim secunda notitiarum deperdita videtur [3]. Ad historiam

[1] *Strassburgische Chronik von 1677-1710. Memorial des Ammeisters Franciscus Reisseissen herausgegeben mit Anmerkungen von Rud. Reuss.* Strassburg, Schmidt, 1877, XXII, 224 p. 8°.

[2] *Strassburgische Chronik von 1657-1677, Aufzeichungen des Ammeisters Franciscus Reisseissen, mit Einleitung und Anmerkungen von Rud. Reuss.* Strassburg, Schmidt, 1880, 153 p. 8°.

[3] Ad finem codicis legitur : *Vide das ander schmahl büchlein*, quod in archivo Oesingeriano nondum repertum est.

rerum gestarum fere nihil affert novi, historiam vero morum satis apte passim illustrat.

Sic desinit longa series historicorum vel potius annalistarum civitatis Argentinensis. Nam quum Chronicon quoddam anonymum Hænelius, Hermannus et Aufschlagerius commemorent[1], quod ad annum 1716 continuatum, Francisci nostri notationes quibusdam annis antecedit[2], eorum tamen nemo aliud quidquam nisi titulum indicat, unde fit ut codicem flammis interemptum describere non possimus, nec a quo scriptum aut quo pretio fuerit constet. Sub liliis borbonicis urbs in pace fere perpetua florentissima exstitit, sed quum propria fata in historia Alsatiæ et Galliæ universa tanquam demersa essent per totum sæculi octavi decimi spatium chronicas habuit nullas.

§ 21. **De Chronicis Alsatiæ inferioris sæculi XVII variis.**

Si, chronicis Argentoratensibus investigatis, ad ejusdem generis opera per reliquam Alsatiam eodem fere tempore conscripta transierimus, nullum invenietur narrationis specimen quod cum Wenckerii, Walteri Reisseisseniique relationibus componere possimus. In Alsatia præsertim inferiore ubi atrox bellorum miseries per nimis multos annos nimia gravitate mentes ita depresserat ut incolæ nepotibus memoriam rerum gestarum, aut potius perlatarum, non libenter traderent, pauca modo testimonia historicæ artis exstitisse videntur, e quibus non omnia nobis servata sunt, etsi superiore sæculo adhuc exstabant: ut a Johanne Friesio, ex chartis Andreæ Silbermanni chronicon parvum (*Geschichtsbuechlin*) Johannis cujusdam Iltzstein, castellani episcopalis oppidi Dachstein

[1] Hænel, *Catalogus*, p. 470. — Hermann, *Notices*, I, p. XVIII. — Aufschlager, *Das Elsass*, I, p. 146.

[2] « *Denckwürdige Sachen die sich zugetragen in dem Elsass und der Stadt Strassburg, seit 1610 biss 1716* ». 2 vol. in-folio.

ad annum 1608 citatur[1], quod alibi nusquam commemoratur ; ut etiam canonicus Victor Guerber, Haganoensis, vir doctissimus, chronicam ejusdem loci a quodam Vito Hahnio, anno 1557 ibidem nato, conscriptam fuisse affirmat[2], de qua, hac mentione excepta, aliunde nihil invenire potui. Aliud ad historiam urbis pertinens documentum, « de ortu et expansione Haganoensis civitatis » Augustus Stœber edidit quod, si stylum respicias, sæculo XVII potius quam sexto decimo adscribi debet, et breve quasi compendium originum et jurium civitatis præbet, statutorum municipalium codici præpositum ; anno jam 1380 sistitur narratio non magni pretii, seu antiquior est, seu recentior[3].

Multo majoris momenti Chronicon Haganoense et Wissemburgense esse videtur, a N. Mockhio, monetæ magistro conscriptum[4], cujus narratio annos 1621-1635 amplectitur[5] et præsertim res Haganoenses, bello Mansfeldico durante, et quæ post archiducis Leopoldi reditum hac in civitate contra lutheranos facta sunt fusius enarrat ; tum vero quod lutheranæ fidei ipse addictus erat ex urbe migravit et anno 1626 monetæ Wissemburgensis rector constitutus est, et ab hoc temporis momento res in Alsatia septentrionali præcipue gestas notavit. Codex autographus inter cimelia bibliothecæ Ignatii Chauffour, celeberrimi jurisconsulti Colmariensis fuit et nunc Colmariæ in bibliotheca publica latet[6]. Narratio adhuc fere inedita est et si ex citationibus Guerberi in Historia

[1] Joh. Friese, *Historische Merkwürdigkeiten aus den Silbermænnischen Schriften*, p. 176.

[2] V. Guerber, *Histoire de la ville de Haguenau*. Rixheim, Sutter, 1876, tom. II, p. 314.

[3] « *Von dem Ursprung und Aufkommen der Statt Hagenau. Extractus des grossen Statutenbuchs der Statt Hagenau, herausgegeben von Aug. Stœber*. Alsatia, 1868-1872, p. 339.

[4] Nomen et titulus quidem abest in exordio sed fratrem Johannem Gasparum Mockhium, Haganoensem consulem anni 1625, tomo I, pag. 101 nominat.

[5] Errore typographico Victor Guerber (*op. cit.*, I, p. 259) annum 1665 designat, sed alio loco (*op. cit*, I, p. 290) ultimum folium die 23. octobris 1635 scriptum fuisse dicit.

[6] Primum codicis volumen 523 paginas, secundum 553 paginas in-quarto habet. Cfr. Waltz, *Catalogue Chauffour*, p. 63-64.

Haganoensi judicare licet, Mockhii relationem, vel fragmentatim, a quodam historiæ alsaticæ studioso, seu Colmariensi seu Wissemburgensi in lucem edere perutile esset. Sed etiam adversæ partis testes servati sunt. Diarium enim exstat R. R. Patrum ex Societate Jesu, latino sermone conscriptum, jussu R. P. Petri Alberi visitatoris provinciæ rhenanæ, a fundatione collegii Haganoensis, anno 1604 inchoatum, in quo res ad historiam Collegii, conversionem lutheranorum in urbe, proceduras in sagas, etc., pertinentes, multis piis legendis permixtæ congregantur[1]. Codicem in parochiali curia Molshemii depositum esse et ad annum 1692 a patribus Societatis productum fuisse indicat auctor *Historiæ Haganoensis*[2]. Utilissima ad ingenia et mores ecclesiasticos illius temporis melius cognoscendos esset hujus diarii evulgatio, quum jam litteras annuas Collegii Selestadiensis a viro doctissimo Josepho Gény publicatas habeamus (de quibus infra) quorum editione nobis tam nitida imago fidei, morum et superstitionum sæculi septimi decimi in Alsatia oblata fuit.

Diarium obsidionis Tabernensis per Ernestum comitem a Mansfeld, initiante anno 1622, ab anonymo cive hujus urbis, fortasse ab assessore magistratus quodam conscriptum, stylo satis amplo gloriosam episcopalis sedis defensionem per comitem Hermannum Adolphum de Salm enarrat[3]. Ad belli tricennis tempora quoque pertinet, si fragmentis judicare licet, Chronica familiæ Grunewaldianæ Pfaffenhofii olim servata, ex qua Julius Rathgeber paucas notitias excerpsit, nulla accuratiore indicatione addita quis esset ille codex et ubi nunc lateret[4], propriis vero observationibus textui chronicæ permixtis.

Eidem sæculi parti adscribenda est variarum notularum compilatio, cujus auctor, Johannes Gotthardt Leberaviensis, anno 1630

[1] Vide Guerber, *Histoire de Haguenau*, I, p. 252, 253, 317, etc.

[2] Vide Guerber, *op. cit.*, II, p. 155.

[3] Relatio ipsa, 11. januarii 1622, paucis diebus post Mansfeldii fugam descripta ex Archivo Oberehnheimensi a Dagoberto Fischer, gallico sermone translata, edita est in *Revue d'Alsace*, 1853, p. 369 ss.

[4] Notæ Rathgeberii ab anno 1618 ad annum 1640 varia ad Pfaffenhofianam historiam afferunt. (*Jahrbuch des Vogesen-Clubs*, VII, p. 123 ss.)

in vico Acherio (Echery) lictor (*Weibel*) constitutus, multa de administratione vici, de pecuniis et mulctis, ad annum 1674 usque, tabellis suis consignavit, quæ minimi pretii habenda sunt. Insunt vero notitiæ de Gotthardti familia, cujus avus sæculo sexto decimo ex Misnia ad Sanctæ Mariæ fodinas immigravit, et, in primis excerpta diarii proprii[1] quod Johannes noster, sartoriæ artis studiosus, dum Italiam cum Paulo fratre suo perambulabat, Romæ Venetiæque degens (1607-1612) conscripserat. Manuscriptum squalore ita obrutum ut partim vix legi possit, grata tamen curiositate perlustravi et relationem opificis obscuri impolitam non indignam puto quæ publici juris fiat[2].

Chronicon civitatis episcopalis Erstein scripsit anno 1666 Franciscus Josephus Bach, loci præpositus, civium principi et urbis consiliariis dedicatum[3]. Opusculum perbreve non solum historiam universalem, ex scriptoribus sæculi XVI Wimphelingio, Bernhardo Hertzogio, etc. compilatam, sed etiam historiam monasterii et oppidi a Triboccis usque ad bellum tricenne fragmentatim et raptim enarrat; descriptio banni et silvarum vicinarum, jura piscatorum Ersteinensium et alia addita sunt notulæque perpaucæ sæculi sequentis ad primum nostri sæculi annum. Julii Cæsaris imago splendidis flavisque capillis exornata post præfationem in codice expressa est et immixta sunt interdum germanico textui chartarum latinarum fragmenta[4].

Alius etiam Ersteinensis administrator inter chronistas modestiores illius temporis adnumerandus est, Franciscus Theobaldus Rothfuchs, Andlaviensis, cujus chronica domestica (*Hausbiechlin*) a Juliano Sée Colmariensi nuper versione gallica in lucem edita

[1] «*Das kleine büchel so ich zu Venedig angefangen hab mein reyss zu schreiben.*»

[2] Johannes Gotthardt natus est anno 1592. Codex 122 paginarum in-4° in Bibliotheca Universitatis Argentinensis (L. Als. 117) asservatur.

[3] Non anno 1675, ut habet Johannes Bernhardt, *Histoire de l'abbaye et de la ville d'Erstein*, Rixheim, Sutter, 1883, p. 128.

[4] Codex habet 35 folia in-folio et in Archivo Ersteinensi depositus est ubi vir amicissimus Ernestus Rœhrich benignissime eum minutius inspexit notitiamque de contextu ejus mihi misit.

est[1]. Tertio decimo die aprilis anni 1645 Andlaviæ natus, ubi pater Johannes abbatissæ secretarius erat, auctor noster apud RR. Patres in collegio Selestadiensi, tum in collegio Bisuntino studia classica persecutus est (1662), Vindobonæ jurisprudentiæ se totum dedidit (1669), anno 1679 monasterii Aprimonasterii secretarius institutus est et paulo post, Ersteinium curator jurium capituli Ecclesiæ majoris Argentinensis migravit. Narrationis introitum a socero nato (1627) Theobaldus noster fecit, tum subito ad suam ipsius (1645) et ad uxoris (1657) diem natalem transiluit. Quod diarium, ut ex manuscripti titulo apparet, anno 1678 inchoatum, gradatim ad annum 1689 perductum est et præsertim res familiares, ingressus in vitam et egressus omnium affinium, in primis tredecim filiorum filiarumque auctoris commemorat, sed interdum singularia tamen multa de illorum temporum moribus, in specie de impedimentis ante capitulationem anni 1681 catholicis in urbe Argentoratensi impositis tradit. Nec mirandum igitur si partes Galliæ regis hac de causa præsertim sequitur ille fidus Ecclesiæ romanæ filius, « quia hæreticos totum per regnum (quod Deus bene vertat!) exstirpare conatus est[2]. » Ut apud recentiores Argentoratenses chronistas, Walterum et Reisseissenium, ita apud Rothfuchsium nostrum citationes et locutiones gallicæ quibus germanica narratio intermixta est, crescentem auctoritatem gallici regiminis et gallicæ linguæ demonstrant.

Selestadienses denique historiarum scriptores hoc paragrapho enumerandi sunt, qui maxima de parte inediti, nuperrime modo partim exhibiti sunt. Ordine chronologico primus est Balthasar Beck, hospitii administrator, cujus chronica a sæculo septimo decimo ineunte initium capit[3]. Ea servatur in archivo civitatis

[1] « *Chronique domestique où sont consignées toutes sortes de choses nécessaires et qui peuvent être utiles pour une relation future* », trad. en français par Julien Sée. *Revue d'Alsace*, 1888, p. 73 ss. Manuscriptum habet 104 paginas in-8°, sed ubi lateat a traductore ne verbo quidem indicatur.

[2] *Revue d'Alsace*, anno citato, p. 93.

[3] Primum Beckii fragmentum a Josepho Geny citatum (*Aus dem Schlettstadter Bürgerleben des XVI. Jahrhunderts, Zeitschrift für Gesch. des Oberrheins*, N. F. VI, p. 283-295) ad annum 1600 pertinet; facta anni 1615 folio 15ª enarrantur.

unde vir de rebus litterariis Selestadiensibus optime meritus, Josephus Gény, fragmenta quædam excerpsit[1]. Continuata est narratio ad annum 1673, sed non ab ipso Beckio scripta[2]. Præsertim tempora belli tricennis quibus interfuit, obsidionem Selestadii a Suecis, anno 1632 factam, occupationemque gallicam ab anno 1635, stylo non bene polito sed sincere et in extenso enarrat, fidei catholicæ strictissime addictus, sed patribus a Societate Jesu, quorum aviditatem in augendis bonis vituperat, non ita devotus[3]. Facta non stricte chronologico ordine eum enumerasse ex fragmentis jam editis percipere possumus[4].

Aliam chronicam familiarem (*Haus-Chronik*) a Jacobo Frey, civium principe seu consule Selestadiensi conscriptam et adhuc ineditam in eodem archivo habemus, quam ab anno 1622 ad annum 1678 ipse perduxit, tum post ejus mortem (obiit tertio die julii anni 1680) filii consulis porro tractaverunt, deinde Johannes quidam Strecklinger ad annum usque 1746 continuavit. Quæ de hoc chronico fragmenta nobis nota sunt, præsertim ad tempora belli tricennis spectant; descriptionem obsidionis Brisacensis anni 1638 edidit Alphonsus Coste[5]; de actionibus contra sagas (1629), de conjuratione Cæsareophilorum in urbe contra Gallos, anno 1634 inita, in qua Jacobus noster implicitus est, de rebus in familia sua gestis, apud auctorem sæpe jam citatum excerpta multa invenies (quorum novissimum ad annum 1675 spectat) Balthasaris Beckii fragmentis commixta[6]. Huic rusticitate ser-

[1] J. Gény, *Jahrbücher der Jesuiten, etc.* Strassburg, Le Roux, tom. I, p. 378 ss.

[2] J. Gény, *op. cit.*, p. 409. — Balthasar enim noster anno 1640 e vita migravit.

[3] J. Gény, *op. cit.*, p. 381.

[4] Facta ad annum 1624 sunt ex folio 60[b] excerpta; ad annum 1626, folio 64[a]; ad annum 1628, folio 21[a]; ad annum 1630, folio 82[a]; ad annum 1631, folio 16[b]; ad annum 1632, fol. 82[a]. — Historia mensis augusti 1621, folio 16[a], mensis vero decembris ejusdem anni, folio 59[a] exposita est. (Vide Gény, *op. cit.* passim.)

[5] *Wahrhafftige und glaubwürdige beschreibung der belagerund* (sic) *der festung Breysach aus Jakob's Frey Handschrift mitgetheilt von A. Coste.* Alsatia, 1854-1855, pag. 248.

[6] Cfr. *Jahrbücher*, p. 376-409 et periodicum *Zeitschrift für Gesch. des Oberrheins*, jam citatum.

monis Jacobus noster postponendus est, eum tamen uberiore religionis studio, patribus Jesuitis toto animo deditus, longe superat[1]. Utramque relationem a Selestadiensi bibliothecario, viro eruditissimo, mox prelo subjectum iri speramus, quoniam bene inchoatum opus, editionem dico annuarum litterarum historiæque collegii Selestadiensis et residentiæ Rubeacensis, his proximis diebus bene perfecit. Quas partes duas e manuscriptis in lucem eduxit, eis eventus et acta præcipue Ecclesiæ catholicæ in urbe patria nec non in provincia tota illustrantur et historia morum narratiunculis notatu dignissimis et ipsa historia profana variis in rebus firmatur et augetur[2]. E duobus codicibus quorum alter in archivo Societatis Jesu in provincia Campaniensi servatur, alter ex collectione Ahlfeldiana archivo Selestadiensi incorporatus est[3], litteras annuas RR. PP. Collegii ab anno 1615 ad annum 1713 in primo operis volumine evulgavit, in secundo vero Historiam Collegii Selestadiensis et residentiæ Rubeacensis ab anno 1631 ad annum 1765 publici juris fecit.

Nescio an his chronicis et documentis sæculi septimi decimi fragmentum ex historia quadam inedita Selestadiensis civitatis adjungere liceat quod Mathias Doll ante hos annos fere quadraginta in lucem produxit[4], in quo Judæorum crudelissima per Alsatiam persecutio anni 1348 enarratur. Si sententiæ et affectus narratoris considerantur, opus ejus certe quidem ad cæca medii aevi sæcula referendum est, quoniano istas absurdissimas de

[1] Filius ejus fuit R. P. Andreas Frey (1631-1706), sacerdos intimus et pœnitentiæ administer uxoris Delphini, Ludovici XIV regis filii, usque ad illius mortem (1690).

[2] *Die Jahrbücher der Jesuiten zu Schlettstadt und Ruffach, 1615-1765, herausgegeben von Joseph Gény.* Strassburg, Le Roux, 1895-1896. Tom. I : XXVIII, 425 pag.; tom. II, VI, 895 p. 8°.

[3] Ahlfeldianus codex est sane quidem is ex quo varias jam notitias R. P. Paulus Mury sumpserat in dissertatione *Souvenirs de la guerre de Trente Ans en Alsace* (*Revue catholique d'Alsace*, 1866, p. 474) et quem designat ut « *Histoire manuscrite du Collège des Jésuites de Schlestadt, rédigée en latin par un des professeurs, de 1615 à 1715.* »

[4] *Zur Geschichte der Judenverfolgungen im Elsass, nach einer handschriftlichen Geschichte von Schlettstadt, Kap. IX, S. 199-208, mitgetheilt von Matthias Doll,* in periodico *Alsatia*, 1858-1861, pag. 330 ss.

puteis a Judæis veneno corruptis insimulationes tradit, stylus autem si respicitur, anonymus auctor sæculo potius sequenti adnumerandus esse videtur, eo magis quod in fragmento nostro factum quoddam de anno 1697 citatur ; ceterum si nullius est pretii historiarum scriptori, philosopho demonstrare potest quam difficile sit ex animis hominum opiniones penitus insitas et inveteratos errores evellere.

§ 22. De Chronicis Alsatiæ superioris per sæculum XVII.

Superioris Alsatiæ chronica sæculi XVII non solum frequentiora sunt quam Alsatiæ inferioris memorabilia, Argentinensibus tamen exceptis, sed etiam ad informandos historicos nostrorum temporum de statu provinciæ magis idonea dici possunt. Quæ, quoad nobis sunt cognita, hoc paragrapho enumerabimus ; sed et hac in Alsatiæ regione relationes coævas non omnes jam repertas esse, nedum descriptæ fuerint, haud cunctanter affirmamus, et tam ex profanis quam ex ecclesiasticis archivis, e bibliothecis publicis et privatis novam messem documentorum scriptori postea venturo colligi posse, ex bibliothecæ Chauffourianæ recensione recenti satis apparet[1].

Primo loco evocandus est inter scriptores Alsatiæ superioris illius temporis Johannes Jacobus Luckius, Haganoensi gente ortus, sed ipse Argentorati circa annum 1575 natus, qui archivo dominorum de Rappolstein Raboldovillarensi diu præpositus et ballivii Stauffenbergensis munere in margraviatu Badensi per aliquot annos functus, in urbe patria anno 1653 e vita decessit[2].

[1] Antequam vir eruditissimus Andreas Waltz, Colmariensis bibliothecarius catalogum bibliothecæ Chauffourianæ anno 1889 typis mandaret nemo, et fortasse ne felix quidem tanti thesauri possessor ipse, re vera sciebat quanta historica cimelia in Sigismundi Billingii capsis vel scriniis inclusæ essent.

[2] Vulgo mortis tempus annus 1633 fuisse dicitur (Rathgeber, *Rappolstein*, p. 165). Et Georgius Stoffel (*Liste préparatoire du Dictionnaire biographique d'Alsace*, 1869, 4°, p. 57) hunc annum indicat, id quod certe quidem erroneum. In epicediis enim Friderici Galli Luckii, Johannis Jacobi filii (J. G. Wetzel, *Leichpredigt...*, Strassburg, 1667, 4°, p. 18) legitur filium anno 1650, primo octobris die, *ex consensu patris* uxorem duxisse. Iselin in suo *Gelehrtenlexicon* annum 1653 habet.

Historiarum antiquarum studio addictus, nec non monumentorum et nummorum peritissimus *Syllogen numismatum elegantiorum quæ ab anno 1500 ad annum 1600 variis in locis lucem viderunt*[1] edidit. Ad historiographiam vero alsaticam pertinet ut auctor collectaneorum quæ sub vocabulo *Annalium Rappolsteinensium* passim a scriptoribus tum præcedentis tum nostri sæculi citata sunt, non tam ex autographo ipso quam ex fragmentis quæ Sigismundus Billing in proprium usum desumpsit. Annalium exemplar olim Argentorati seu in Schœpflini bibliotheca[2] seu in archivo civitatis depositum fuisse[3] nonnulli affirmant sed mihi verisimilius videtur, id in bibliotheca fuisse ibique anno 1870 periisse nam in archivo certe neque ante bellum neque postea Luckianus exstitit codex.

Originalia duo volumina, ex archivis comitum palatinorum Rabaldovillari temporibus magnæ gallicæ mutationis Colmariam translata, in archivo Alsatiæ superioris deposita sunt[4] ubi mihi per humanitatem doctissimi viri Heinonis Pfannenschmid, archivarii, eorum accuratius inspiciendorum facultas data est. Annales justi certe nominari non debent, non enim narrationem factorum cohærentem aut artem historicam invenies; collectanea pervaria, tabellæ genealogicæ, veterum Colmariensium annalium excerpta, chartarum et missivarum exempla, carmina in honorem stirpis Rappolsteinianæ, multa alia varie permixta et chronologica quadam dispositione certum in ordinem redacta sunt. Interdum pagellæ cuidam vere historicæ incurrimus, ut narrationi illi domini Ulrici de Rappolstein, de bello rustico anno 1525 gesto, de qua in priore quodam capitulo verba jam fecimus[5]. Primum volumen carmine ornatum in honorem Luckii a Theophilo Dachtlero, Argentinensi jurisconsulto composito, foliis trecentis triginta quatuor notitias ab anno 1200 p. Ch. n. ad annum 1600 habet, inter quas bellum

[1] Argentinæ, typis Reppianis, 1620, in-folio.
[2] Rathgeber, *op. cit.*, p. 165.
[3] Schœpflin, *L'Alsace illustrée, trad. Ravenez*, tom. I, p. 14.
[4] Sub numero inventarii, E. 1039 et 1040.
[5] Vide supra, pag. 97.

Brunonis de Rappolstein annorum 1390-1393, contra civitatem Argentinensem [1] dignum est, nisi aliunde excerptum est, quod in lucem edatur. Multæ certe notulæ post Luckii mortem intercalatæ sunt, ut citatio ex Wenckerii *Collectaneis juris*, anno 1702 evulgatis [2]. Aliud fragmentum amplius, Henrici II Galliæ regis invasionem Lotharingiæ et Alsatiæ anno 1552 enarrat, sed in dubio mihi est an compilator *Annalium* certis ex auctoribus relationem transcripserit, quum alio jam loco eam vidisse existimem [3], rei tamen non omnino certior factus.

Volumini secundo trecenta quatuor folia insunt, inter quæ multa notis carent, cæteræ vero eventus et facta varia sæculi septimi decimi habent usque ad obsidionem Friburgensis civitatis in Brisgovia a duce Villariensi susceptam (1703). De bello tricenni notationes perpaucas habet codex, seu ex miserie temporum atrocissima, seu quia codex noster in archivo Rabaldovillari relictus est, Luckio in castello Stauffenberg et postea Argentorati domicilium novum quærente [4]. Quæ vero descripta sunt maxima de parte consiliario cuidam ducum Bipontinorum [5], Casimiro Henrico Radio tribuenda sunt, qui dissertationem de origine gentis illustrium comitum Rappolsteinensium Argentorati, anno 1745, publicavit et, nisi fallor, et tomo primo Annalium intercalationes adjecit. Propter documenta quæ Luckius ex archivo comitali deprompserat codicique immatriculaverat suo, *Rappolsteinenses Annales* non immerito a criticis fodina preciosi si non bene expurgati metalli habentur; hodie vero quum *Cartularium Rappolsteinense* a viro doctissimo Carolo Albrecht, Colmariensi

[1] Fol. 140-183: « *Aussführliche Beschreibung, etc , cum documentis*. Prius vero inquirendum est, utrum Luckius fragmentum id ex fonte jam nobis cognito hauserit nec ne.

[2] Fol. 182.

[3] Fol. 288: *Aussführliche Beschreibung was in anno 1552 Heinrich Kœnig in Frankreich, etc.*

[4] Sic explicari potest, si Aufschlageri notula correcta est, exemplar Annalium Argentinense ad annum 1640 continuatum fuisse, quum Rathgeber autographum ultra annum 1623 non deductum fuisse affirmet.

[5] Duces Bipontini fuerunt hæredes comitum Rappolsteinensium.

professore compilatum, jam quatuor voluminibus exstat, et adhuc continuatur, manuscriptum laboriosi archivarii necessario minoris pretii habendum est, præsertim quum pars fragmentorum quibus cultioris narrationis formam dederat, ex Sigismundi Billingii collectaneis in lucem provecta sit[1].

Sed si jam ad Colmarienses chronistas ipsos transimus, primum annalistam obscurum ex ultimis sæculi sexti decimi annis nominare opus est, magistrum Andream Irsamer, Passaviensem, qui postquam Pfalzburgii tum Lingolshemii, prope Argentinam, parochiæ evangelicæ aliquamdiu præfuit, anno 1590 Colmariam vocatus ecclesiæ ibidem lutheranæ præpositus fuit et vicesimo nono die augusti, anno 1600 e vita migravit. Varias notitias ad historiam urbis pertinentes annis 1595-1597 registro matrimoniali parochiæ inscripsit[2] quæ nuper a viro eruditissimo Eugenio Waldnero, civitatis archivario, inventæ et prelo traditæ sunt[3]; fere omnes tamen ad pestilentias, cometarum apparitiones facinoraque varia spectant et historiam hujus temporis politicam ne verbo quidem perstringunt.

Ne filius a patre sejungatur, proximum Andream, Christophorum Irsamer hic indicabimus, ludimagistrum Colmariensem et evangelicæ ecclesiæ organistam, cui nunc denique tribuitur *Diarium de obsidione et occupatione Colmariæ civitatis* (a novembri 1632 ad januarium 1633). Primus opusculi editor, Josephus Liblin, paternitatem *Diarii* Johanni Jacobo Rapp vindicavit[4], recentior vero Julianus Sée, qui aliam paulo mitigatam textus recensionem in lucem eduxit[5], seu Nicolaum Sandherr, seu N. Huffelium, archi-

[1] Præsertim a Julio Rathgeber, in opere suo *Die Herrschaft Rappolstein* (Strassburg, Wolff, 1874, in-18). Cfr. etiam Waltz, *Catal. Chauffour*, p. 152-155.

[2] Registrum est annorum 1595-1627.

[3] Eug. Waldner, *Allerlei aus dem alten Colmar* (Colmar, Jung, 1894, 8°), p. 35-42.

[4] *Beschreibung der Belager- und Einnehmung der Statt Colmar, publiée par Jos. Liblin*, Colmar, Decker, 1857, 51 pag. 8°.

[5] *Beschreibung der Belager- und Einnehmung der Statt Colmar herausgegeben von Julien Sée.* Colmar, Jung, 1878, XIII, 60 p. 8°.

varium civitatis (1732) a quo exemplum relationis factum est quod adhuc exstat, auctorem esse opinatus est[1]. Nunc vero deductionibus Eugenii Waldneri satis apparet Christophorum Irsamerum hujus documenti scriptorem fuisse[2]. De auctore ipso nihil nisi quod ipse in opusculo narrat dicere possum et Colmariæ eum anno 1593 natum, a catholico magistratu anno 1628 ex officio pulsum esse[3].

Relationem de obsidione Colmariensi similem sed multo breviorem a cive lutherano, Henrico Schæntzler, conscriptam, antea jam editam et si Irsamero comparatur, minoris pretii, in Augusti Stœberi *Alsatia* invenimus[4].

Anteriore paulo tempore conscripta est eadem in urbe *Chronica Alsatica* Christophori Kirchneri, qui Smalcaldiæ in landgraviatu Hassiæ natus, anno 1597 scholæ evangelicæ Colmariensis subrector creatus est. Rectoratum adiit anno 1604 et per triginta fere annos gessit donec temporibus belli tricennis Ferdinandi II imperatoris commissarii lutheranos e magistratu et partim ex urbe pepulerunt, atque ipse anno 1627 patriam relinquens, Basileam confugit. Ibidem gymnasii subrector designatus supremum diem habuit (1638). Kirchnerianæ chronicæ codex qui narrationem rerum ad annum 1571 pertinentium incipit, cum collectione Ignatii Chauffour ad bibliothecam civitatis transiit, et non solum eventus ex historia Colmariensi, sine ulla capitulorum divisione sæpe ex aliis chronicis et relationibus excerptos aggregat, sed et varia externæ historiæ facta adducit, fontes ex quibus hauserat in margine indicans[5]. Incorporatum est illo modo codici fragmentum e

[1] Huffelius quum *Diarium* describeret, id nonnullis locis truncavit ne odium discidiorum ecclesiasticorum quod ex restitutione lutheranismi, urbe a Suecis capta, exortum est inter Colmarienses sæculi XVIII renasceretur.

[2] Waldner, *Allerlei aus dem alten Colmar*, p. 49 ss. Textus Huffelii (ed. Sée, pag. 47) jam sufficiebat ad demonstrandum auctorem relationis organistam parochiæ evangelicæ fuisse.

[3] Cfr. Billing, *Kleine Colmarer Chronik*, p. 126. Inde gaudium auctoris de Suecorum victoria.

[4] *Bericht, u. s. w. mitgetheilt von G. Ehrlen, Alsatia*, 1851, p. 46 ss.

[5] Cfr. Waltz, *Catal. Chauffour*, p. 1-3.

Chronico discalceatorum Colmariensium nunc deperdito, quod a Conrado Scherer[1] ex originali manuscripto sumptum, ex ejus opere historico ad Christophorum nostrum transmigravit. Quod fragmentum unice servatum Julius Rathgeber ex codice Kirchneri inedito publici juris fecit[2].

Sicut Christophorus Kirchner et Irsamer, etiam Nicolaus Klein, Lutheranus ecclesiastes atque scholarcha nec non historiographus Colmariensis fuit, qui ex ipsa Kirchneri chronica consilium et exemplum sumpsisse affirmat. Natus est Colmariæ eodem anno quo antecessor Basileæ e vita effugit, 28 die julii 1638. Pater ejus Joachimus Klein, Lipsiensis, cum legione suevica sacerdos militaris anno 1632 in urbem advenerat ; filius in gymnasio Montispeligardensi, tum Tubingæ Lipsiæque studiis orientalibus et theologicis incubuit, et post reditum in patriam professor in Gymnasio evangelico pauloque post diaconus creatus, ab anno 1662 ad mortis diem (2 junii 1702) Colmariæ vixit ibique *Chronicam magnam* compilavit suam, opus stylo perverso et eruditione indigesta insigne, perpetuis excursibus lectori fastidiosum, in quo tamen per quadraginta annos, vir acuti ingenii, mutatas vices religionis et patriæ assiduo calamo consignavit[3].

Joachimus, Nicolai pater, farraginem notitiarum sub nomine *Miscellaneorum Colmariensium* inchoaverat[4], quam filius ab anno 1663 ad annum 1699 porro tractavit quasi materiam ad usum futuræ chronicæ accumulans[5]. Tertium denique Colmariensis pastoris et professoris opusculum hic enumerandum est, *Mira Colma-*

[1] De quo supra vide pag. 23.

[2] *Forschungen zur deutschen Geschichte*, 1875, XV, p. 462-469.

[3] Chronicon Colmariense autographum 150 foliorum in-folio, quod Andreas Waltz in catalogo bibliothecæ Chauffourianæ (p. 75-83) minutiose explicat et ex quo Julius Rathgeber fragmenta non pauca diversis in libris publicavit (Rathgeber, *Colmar und Ludwig XIV.*, p. 53-58, p. 197-211. — Id. *Münster im Gregorienthal*, p. 154-159. — Id. *Die Herrschaft Rappolstein*, p. 175-193 — et in periodico *Allemannia* ab Antonio Birlinger edito (II, p. 61 ss.). — Et alia narrationis fragmenta mihi digna videntur quæ edantur.

[4] Anno 1603 natus, 6. die junii 1662 defunctus est.

[5] Ex quo codice Rathgeberus etiam fragmenta nonnulla in opere *Colmar und Ludwig XIV.* (p. 71-88) edidit.

riensium metamorphosis, in quo diario a julio mense ad decembrem anni 1673, animo parum contento, quo modo civitas a Ludovico XIV ex improviso occupata mœnibus libertatibusque suis privata fuerit enarrat[1].

Quam multi alii cives Colmarienses initiante, mediante vel exeunte sæculo XVII diaria scripserint nunc satis ex notitiis apparet quas Sigismundus Billing, sequenti sæculo, ex manuscriptis nunc partim deperditis excerpsit, seu ex codicibus ipsis adhuc superstitibus quos collegerat et qui cum bibliotheca Chauffouriana Colmariensem bibliothecam locupletaverunt. Quorum quanquam pars minima alicujus momenti ad historiam horum temporum universam dici potest, nobis tamen et hominum et eventuum imaginem innumeris minutissimisque narratiunculis vividiorem ante oculos ponit. Ac ne Matthiæ Ringendalleri duo registra quidem omnino spernenda sunt, *Herbstbiechlein*, in quo notatur quantum sibi vini ab anno 1587 ad annum 1630 vinea reddiderit, et *Geschichtsbiechlein* in quo varia Colmariensia facta ab anno 1565 ad 1607 promiscue consignavit[2], nec folium unicum ex manuscripto Buebiano, quod Billingius ad historiam annorum 1619-1622 adducit et forsitan chronicæ consulis Jacobi Bueb tribuendum est[3].

Hic et chronicam familiarem (*Hausbiechlin*) Matthiæ Lauberer, sartoris, verbo tantum commemorabimus in qua honestus artifex vitæ suæ mutationes et vices ab anno 1657 ad annum 1699 brevi adumbratione notavit[4], nec catholicis urbis incolis nec gallicis partibus favens et in Mazarinum cardinalem (quem *Masserin* vocat) et Turennium, *Durain* denominatum, pari inimicitia affectus[5]. Excerpta quoque ex chronico Nicolai Murmanni, tornatoris ad annos 1673-1723 quatuor foliis consignavit, licet aridissima,

[1] Autographum 37 foliorum in-8° a Julio Rathgebero, in opere supradicto (*Colmar und Ludwig XIV.*, pag. 91-124) typis mandatum est.

[2] Cfr. Waltz, *Cat. Chauffour*, p. 135.

[3] Cfr. Waltz, *Cat. Chauffour*, p. 108.

[4] Colmariæ anno 1658 natus, 1728 vita defunctus est.

[5] Julius Rathgeber diarii partem in opere citato (p. 59-70) consignavit.

quippe quæ fere unice ad temperiei vices viticulturamque spectent [1].

Multo majoris pretii habenda est Chronica Ambrosii Mulleri, quia de rebus Colmariæ et per totam Alsatiam superiorem exeunte sæculo septimo decimo gestis nonnulla scitu digna servavit. Ambrosius noster patre suevico Argentorati anno 1646 natus et apud Heilbronnenses cognatos educatus, tum bibliopega seu arti concinnatoriæ destinatus, modo 1670 Colmariam advenit et sequenti anno in civium numerum receptus est. Itaque non mirandum est si eventus qui proximo tempore reipublicæ statum turbaverunt infesto animo conspicit novasque institutiones et consuetudines mediocri benevolentia in memoriali domestico consignat. Quo modo se prætores regii provinciæque præfecti gesserint, quibus miseriis præsertim incolæ ruralium locorum his in bellis fere perpetuis afflicti et onusti fuerint, brevi sed lucido sermone ad annum usque 1705 describit [2].

Johannis Joneri *Notanda* contra civis catholici Colmariensis diarium nobis afferunt, Ambrosio Mullero fere coævi, cujus auctor easdem res ibi gestas ex opposito prospectu considerans, quas ille vituperat laudibus extollit et de iis gaudet quæ illi molestæ videntur. Colmariæ mense julio anni 1633 natus, apud Sancti Johannis Hierosolymitani hospitalem domum œconomus constitutus est Johannes Joner circa annum 1667. Anno 1680 inter consiliarios civitatis acceptus, quatuor annis post tredecimvir, tum consul, anno denique 1697 consul supremus creatus est et ad mortis diem (22 aprilis anni 1707) permansit, et omnibus quæ Colmariæ deliberata vel acta sunt, seu ipse jubens, seu jussus interfuit, omnibus fere novationibus annuens, id quod in viro regi religionique devotissimo facile intelligitur. De rebus quæ extra Colmariam hoc

[1] Cfr. Waltz, *Cat. Chauffour*, p. 109. A Julio Rathgebero operi suo (*Colmar und Ludwig XIV.*, p. 165-174) insertæ sunt Murmanni notitiæ.

[2] Codicem autographum 112 foliorum in-8°, nuper in manibus abnepotis Augusti Mulleri Colmariensis ludimagistri repositum, typis mandavit Julianus Sée : *Ambrosius Müller, Stamm- und Zeitbuch, Hauschronik eines Bürgers von Colmar* (*1678-1705*). Colmar, Jung, 1873, XV, 74 p. 8°.

tempore evenerunt pauca tantum in Jonero nostro reperies, sed quia microcosmum civitatis natalis indefesso studio minutatim tabellis innotat, historiæ morum nec non institutionum patriæ utilissimus dici potest. Codex exstat in archivo civitatis, ubi a viro mihi amicissimo doctissimoque Xaverio Mossmann ex obsoletarum chartarum congerie protractus est et a Juliano Sée,simul cum Mulleri chronica, lectoribus rerum historicarum curiosis exhibitus est[1].

Sæculis sexto, septimo et octavo decimo adscribendum est manuscriptum quod annalium ratione a tabulariis vel secretariis portorii Colmariensis ab anno 1424 ad annum usque 1759 compilatum est. De prima narrationis parte excerpta modo quædam Sigismundi Billingii remanent, ex annis 1424-1564; registrum vero secundum authenticum ex collectione Chauffouriana ad bibliothecam Colmariensem migravit[2] et in eo successive varii portorii administratores, partim nomina sua inserentes[3], quidquid insoliti tunc temporis sibi et in urbe acciderat, notaverunt. Inde a tempore belli tricennis præsertim et per sæculum octavum decimum notitiæ ad historiam morum pertinentes cognitione dignæ sunt. Annalistarum ultimus, Philippus Richardus Stuber, Palatinus fuit, qui anno 1754 vinorum degustator ad portorium Colmariense rite vocatus est.

Codicis (qui, nescio qua de causa, titulum *Colmarisches Wunderbuch* in tergo habet) versionem gallicam Josephus Liblin, indefessus patriæ historiæ inquirendæ veteranus, in utilissimo suo periodico edidit[4].

Hoc denique loco, ne ad Colmarienses postea redire necesse sit, chronicæ familiaris Johannis Ulrici Dotzler, orphanotrophei evangelici rectoris mentionem facere liceat; qui circa annum 1654 natus, quarto octobris die 1722 defunctus, memoranda ad annos

[1] *Johann Joner's Notanda, Notizen eines Stettmeisters von Colmar zur Zeit Ludwig's XIV. (1678-1705) herausgegeben von J. Sée.* Colmar, Jung, 1873, XI, 124 p. 8°.

[2] Cfr. Waltz, *Cat. Chauffour*, p. 74-75. Codex 112 folia in-folio habet.

[3] Georgius Willig (1619); Tobias Schœnberger (1625); Christophorus Joner (1628); Joh. Philippus Durninger (1654); Joh. Georgius Schmitt (1675); etc.

[4] *Chronique de l'ancien Hôtel de la Douane de Colmar* (*Revue d'Alsace*, 1876, p. 245 et 408).

1709-1715 pertinentia collegerat e quibus aliqua minimi momenti a Billingio excerpta nobis servata sunt[1]. Nec Eliam Hæsy, honestum vinitorem et vespillonem simul Colmariensem silentio præterire volumus, etsi jam totus sæculi sequentis est, quum anno 1728 natus, 1774 vero defunctus sit. Et is chronicam familiarem conscripsit ex qua Sigismundus Billing excerpta ad annos 1729-1768 pertinentia quædam, paucis foliis inserta, sed nullius, ut videntur, momenti in capsulis adhuc inedita servavit[2].

De chronicis Mulhusinis sæculi XVI exeuntis et XVII si nihil dicerem quia jam Mulhusium illo tempore Alsatiæ politicæ pars non fuit, recte miraretur lector benevolus, eo magis quum ex perturbatione reipublicæ anni 1586 sequentiumque annorum nonnulla opera historica non parvi pretii exorta sint. Contentiones etiam Mulhusinæ quæ vulgo sub vocabulo « Finningerorum motuum » (de fratrum nomine qui anno 1587 civitatis magistratum evertere tentaverunt) inter maxime notandos hujus temporis eventus historiæ alsaticæ numerari debent, quum ad universam reactionis catholicæ historiam pertineant et hac de causa longa acerbaque controversia inter catholicos et evangelicos Helvetiæ confœderatos ex his commutationibus politico-ecclesiasticis exorta sit, in qua Bernenses, Turicenses et Basileenses res armis gestas calamo quoque defendebant.

Præstantissimum de his rebus opus, si historicam artem modo respicimus, Davidis Zwingeri, Episcopocellani-Thurgoviensis *Descriptio et relatio* est. Qui ab anno 1582 evangelii minister apud Mulhusinos institutus totusque oligarchico regimini deditus, novatores aliquantisper victores summo odio insectatur et ipsos collegas nimiam popularitatem consecutos anabaptistarum epitheto notat. Insipidis classicæ eruditionis flosculis exornata vel vitiata est oratio neque clementer aut æque adversarios judicat. Sagax tamen rerum hominumque speculator, non solum seriatim eventus enumerat sed et sententias intimas, licet interdum falsæ sint, enun-

[1] Cfr. Waltz, *Cat. Chauffour*, p. 108. — Julius Rathgeber notulas in opere *Colmar u. Ludwig XIV.*, p. 192-194) in lucem produxit.
[2] Vide Waltz, *Catalogue Chauffour*, pag. 110.

ciare ausus est, neque quisquam Argentinensium chronistarum tam prompto et alacri ingenio præditus est aut, sicut in fabula dramatica, talem status publici perturbationem tam vividis unquam coloribus exposuit [1].

Opus ipsum Zwingeri multis in Helvetiæ bibliothecis reperitur [2] et jam sæculo XVIII partim a J. Fuesslino [3], tum a Matthæo Mieg nostro tempore evulgatum est [4]. Exstat Argentorati in bibliotheca nova civitatis [5] et merito sumptibus alicujus Mulhusinorum patriciorum quoram causam tam acriter contra democraticos novatores olim defenderat, prolixa oratio eruditi et irascibilis parochi in lucem tota proveheretur.

Aliam relationem de illa memorabili dissensione vir eruditissimus Augustus Stœber quum Mulhusinæ civitatis bibliothecarius esset edidit, quæ etiam in illa urbe conscripta, tum in manibus Friderici Zuberii Mulhusii servabatur et cui titulus *Tragœdiæ Mylhusinæ* erat. Auctor anonymus calvinistarum partes tenet et « Guelfis » (id enim nomen mediævale rebellibus in chronicis illius temporis tribuebatur quod papisticorum vicinorum concursu urbis regimen imo postea religionem evangelicam evertere tentavisse dicebantur) inimicissimus est eorumque clade lætatur et gaudet. Non solum perturbatum rerum statum per annos 1586-1587 enarrat sed etiam eventum historiæ patriæ minus cognitum, seditionem nocturnam 13 junii 1590, qua devicta popularis factio ultionem antecessorum et victoriam causæ suæ consequi frustra tentavit [6].

1 Vide notitiam meam : *Deux manuscrits de la Bibliothèque municipale de Strasbourg relatifs à la révolution de Mulhouse en 1587*, in periodico *Bulletin du Musée historique de Mulhouse*, 1881, p. 1-23.

2 Vide Aug. Stœber, *Bürgerliche Aufstœnde in Mulhausen*, p. V.

3 *Beytræge zu der Geschichte der Eidgenossen*, p. 49-220.

4 *Geschichte der Stadt Mulhausen*, I, p. 154-203.

5 Mss. nº 121 : « *Wahre Beschreibung und gründtlicher Bericht von dem ursprung, anfang, zustand, anstellung und endschafft der wunderbaren rotterey, burgerlichen tumult, und mæchtigen ubelstand der statt Mulhausen im Obern-Elsass... beschrieben durch Davidem Zwingerum, diener der kirchen daselbst.* » Continet codex sæculi septimi decimi exeuntis 158 folia in-folio.

6 *Tragœdia Mylhusina d. i. wahrhafftige Beschreibung der bürgerlichen Empœrung und übelstandt der statt Mulhausen, etc.* in opere Augusti Stœberi. *Die bürgerlichen Aufstœnde der Stadt Mulhausen im XVI. Jhrdt.* Mulhausen, Risler, 1874, XI, 101 p. 8º.

Ex omnibus narrationibus quæ apud Helvetios de hac « tragœdia » compilatæ fuerunt una modo nobis cognita est, quæ ex auctoritate confœderatorum evangelicorum ad minuendum odium apud catholicos collegas ab Abrahamo Musculo sive Muesslin composita est, qui Bernensibus copiis hac in expeditione sacerdos militaris adjunctus est, tunc temporis Thuniensis civitatis ecclesiastes [1]. Narrationis ejus exemplaria exstant plurima [2] quorum unum in bibliotheca civitatis Argentinensis nova habui, intitulatum : *Beschrybung der gelegenheit der statt Mulhussen und dess unglücksæligen unfalls und iammer der sich in derselben zytt von wegen der verfluchten uffruhr so sich zwueschen den uffruerischen burgern und ihrer natürlichen oberkeitt... zugetragen, etc* [3]. Narratio est multo minus expressa quam Zwingeriana (imo quasi decolorata dici potest), maxima de parte ex documentis publicis et missivis fœderatorum instructa et manifesto consilio conscripta ne odium inter fœderis helvetici socios per Finningeros et eorum satellites augeretur.

Christianus etiam Urstisius, sive Wursteisen, secretarius reipublicæ Basileensis et auctor chronici historiæ patriæ notissimus, paulo ante vitæ finem (obiit anno 1588) hujus belli relationem scripsisse videtur adhuc ineditam [4]. Optimam vero omnium Hallerus illam esse dicit quæ a Johanne quodam Baslero, pastore Hinswylensi, sæculo insequenti conscripta est [5] et certe quidem eruditi cujusdam Mulhusini seu helvetici esset, codicem bernensem accuratius investigare et de meritis ejus singulatim referre [6].

Si scripta ad Mulhusii historiam supra enumerata fere omnia sæculo sexto decimo exeunte consarcinata sunt, notissimum historiographiæ civitatis monumentum, *Chronicon Mulhusinum* Jacobi Henrici Petri, secretarii et postea consulis ad tempora jam recen-

[1] Anno 1591, cathedralis ecclesiæ Bernensis præpositus e vita decessit.

[2] Cfr. A. de Haller, *Helvetische Bibliothek*, V, p. 199.

[3] Codex 154 foliorum in-folio numero 120 catalogo manuscriptorum bibliothecæ inscriptus est.

[4] Vide Hallerum, *op. cit.*, nº 618.

[5] Natus est anno 1613, anno 1670 denatus.

[6] Vide Hallerum, *op. cit.*, nº 619.

tiora pertinet, opus omni laude dignum propterea quod non modo localia, ut ita dicam, facta sed universam historiam vir doctus et negotiorum publicorum peritissimus enarrat, postquam Mulhusinum archivum perlustrans chartarum scrinia ipse ordinavit.

Jacobus Henricus Petri die septimo mensis decembris anno 1593 natus Basileæ, ubi pater in Universitate professor erat, postquam per tres annos Metis gallicæ linguæ ediscendæ causa commoratus est (1610-1613), atque jurisprudentiæ et Basileæ et apud Italos studuit, quum vix vicesimum septimum annum ageret, secretarius civitatis Mulhusium vocatus est. Civibus mox novæ patriæ ita utilem se præbuit ut jam anno 1633 ab illis consul electus per omnia rerum discrimina prudenti manu felicique successu reipublicæ navem non obstantibus belli tricennis tempestatibus, dirigere ei contigit donec vicesimo tertio maji anno 1660 ex hominum numero migravit[1].

Chronicon Mulhusinum duabus exstat recensionibus, quarum una, nuperrime modo publici juris facta, opus est juventutis maturioris, primos per annos commorationis ejus in urbe delineatum[2] styloque simpliciore narrationem explicat, altera quasi tardiore incedit gradu, et sermone nimis exquisito gravem jam oratorem denuntiat. Studio historiæ temporum antiquorum quum ita se dedidisset, ut maxime ex eo peteret quid per sua tempora rectoribus civitatis agendum esset, ingenio acuto potius quam eruditione solida Mulhusinæ reipublicæ fata a primordiis ad belli tricennis initium enarravit, septem per libros distributa. Quorum primus topographiam civitatis, secundus vero mediæva tempora ad annum 1356 amplectitur, in quibus multa ut legendaria merito rejicientur. Tertio quartoque libro origines Mulhusinæ libertatis, fœdus cum Helvetiis primum initum, bella austriaca Bur-

[1] Notitiæ ad proprium biographiam perutiles in albo J. Henrici nostri (*Notizbuechlein*) servantur ex annis 1593-1627, in quibus studia, legationes diplomaticas Solodurum, Ensishemium, etc. enarrat. Infelici casu folia de annis 1604-1615 e manuscripto sublata sunt, fortasse ab ipso, quod juvenilia tractabant, seni forte parum grata.

[2] Ex notitiis auctoris apparet nono die maji 1626 ultima chronici folia conscripta fuisse.

gundiacusque conflictus enarrantur. Quintus liber institutionem fœderis perpetui bellaque Helvetiorum usque ad reformationem Mulhusinam ecclesiasticam exponit, quæ libro sexto usque ad bella civilia inter catholicos et evangelicos ubique per Europam gesta ab auctore evolvitur. Septimo denique libro Johannes Henricus noster reipublicæ fata a tempore motuum anni 1586 ad annum 1617 fusius enarrat et e majorum discordiis consilia hauriens, cives ad prudentiam, æquitatem nec non ad obedientiam erga civitatis ductores hortatur. Sub finem se relationem universarum miseriarum sævissimi belli libro sequenti reservare velle dicit, sed octavam operis partem nunquam descripsit etsi perniciosi belli finem conspicere ei datum est. Quod silentium profecto non hac ex causa ortum est quod in mutatione omnium rerum alsaticarum novis provinciæ dominis hostilis erat, quum jam in chronici præfatione sese Gallorum amicum proclamavisset [1] et quasi prophetica quadam visione impulsus (scribebatur enim hoc anno 1626), prædixisset et Gallos admirationi, spei et terrori orbi terrarum fore [2] et Deum omnipotentem eos servaturum esse donec ipsius regnum in terris inauguraretur aliisque regnis omnibus finis imponeretur [3].

Petrinum opus quod duo per sæcula in archivo Mulhusino sepultum jacuerat, tandem a Mathia Grafio, doctissimo pastore primario et, nisi fallor, auxilio Andreæ Kœchlini, civium principis, e tenebris erutum est, ultimam auctoris recensionem lectoribus præbens [4]; priorem vero editor anonymus paucos ante menses in lucem eduxit [5]. Johannis Henrici Petri chronicon ab uno de suc-

[1] Auctor semet ipsum «*ein geborener Eidgenoss, der Franzosen Bundsgenoss, und ein Fründ der christlichen evangelischen Religion*» lectori declarat.

[2] «*Eine verwunderung, hoffnung und forcht der gantzen welt.*»

[3] Petri, ed. Graf, p. 566.

[4] *Der Stadt Mulhausen Geschichten von Jakob Heinrich Petri, Stattschreiber allhier, im Anfang des XVII. Jahrhunderts geschrieben.* Mulhausen, Baret, 1838, VII, 628 p. 8°.

[5] *Der Statt Mulhausen Historien von Stattschreiber Jacob Henric Petri anno 1626*, tomis XV-XVIII periodici *Bulletin du Musée historique* primum inserta est narratio et separatim, Mulhusii, Bader, 1896 (VII, 284 pag. 8°) in lucem educta est.

cessoribus, Josia Furstenbergero, primum civitatis secretario, tum consule reipublicæ Mulhusinæ († 1732) ad annum 1723 continuatum est et quæ ad antiquiorum temporum historiam pertinent valde abbreviata sunt[1]. Quod Furstenbergeri compendium Mathias Graf multis in familiis florentis et industriosæ civitatis diu servatum esse dicit ac nescio an etiam hodie reperiri possit[2].

§ 23. **De scriptoribus rerum Alsaticarum eruditis et politicis sæculi XVII.**

Dum illi quos nominavimus scriptores, aut patricio aut plebejo genere orti, vestigiis priscorum annalistarum instantes, res obscuras suæ quisque civitatis cum exigua legentium delectatione, ingenio vero studioque mediocri adnotant, magnus doctorum hominum numerus vel ex Alsaticarum Academiarum umbraculis vel ex Universitatibus vicinarum regionum egressi, sive in pontificum romanorum partibus stabant, sive novis doctrinis adhærebant, theologiæ disputationibus omissis, historiarum studio inter sese æmulabantur, literarum monumentis ipsis studebant eaque commentariis scholiisque exornabant. Alii vero et ipsi Wimphelingos, Murneros, Guebwyleros imitati, historiarum documentis comprobatis ita utebantur ut ea quæ de rebus publicis gerendis sentiebant docerent et demonstrarent. Alii denique, studiis minoribus incumbentes instituta moresque antiquorum populorum, vel reliquias monumentaque suarum ipsorum regionum, vel alia rerum factorumque genera quæ historiæ adjumento esse videntur, diligenter exquirebant.

Inter quos non solum chronologico ordine sed meritis etiam Francisco Guillimanno, seu Vuillemain, primum locum tribuendum esse credimus. Natus Romontii, in pago Friburgensium Helveti-

[1] Et a Xaverio Horrer (*Dictionnaire de l'Alsace*, p. 569) præcedenti jam sæculo citatur.

[2] Graf, *Geschichte der Stadt Mulhausen*. Mulh., Risler, 1819, in-18, tom. I, p. V.

corum, anno incerto[1], Alphonsi Casati, hispanici legati apud Confœderatos (1595-1606) aliquantum temporis Lucernæ secretarius fuit[2]; postquam autem librum qui inscribitur *Helvetia seu de rebus Helvetiorum* edidit, ad universitatem Friburgensem Brisgovianam historiarum professor vocatus est et ab imperatore Rodolpho II operis causa cui est *Habsburgiaca* titulus, consiliarius aulicus creatus ibidem quarto decimo die octobris 1612 defunctus est[3].

Noster est quod librum *de episcopis Argentinensibus* scripsit[4], cujus in decem primis capitibus de origine urbis, de primis ejus conditoribus, unde nomen habeat, de civitate romana a barbaris diruta, de origine episcopatus Argentinensis ejusque finibus, quando et quomodo urbs episcopis subjecta fuerit, de ecclesia cathedrali, de collegiis aliisque ædibus sacris civitatis, de monasteriis et collegiis in diœcesi Argentoratensi sitis breviter ac prudenter disserit. Fontes græcos et latinos ad eruendas origines critico ingenio perscrutatur, antecessorum, Jacobi scilicet Wimphelingii et Caspari Bruschii errores frequenter corrigit et fontes mediævales, Merovingiorum et Carolorum chartas adducit, Erckenbaldi catalogum, Albertum Argentinensem, Regiovillanum, cæteros libere dijudicat, ipse vero catalogum septuaginta sex episcoporum a S. Amando ad Carolum Lotharingicum († 24 novembris 1607)[5] critico commentario stabilitare instituit. Laudandus certe et ab hodiernis quibusdam imitandus est qui de episcopis ante Heddonem, Caroli Magni coævum, scripserit : « sane magnam partem habeo suspectos plurium scio etiam manifeste falsos[6]. » Sanctum Amandum primum diœcesis Argentinensis

[1] Annus tamen natalis circa 1560 ponendus est. Cfr. A. Daguet, *Biographie de François Guilliman*, Fribourg, 1843, 8°.

[2] Vid. Heinricum Reinhardt, *Die Correspondenz von A. und G. Casati.* Friburgi, 1894, 4°, pag. 13-17.

[3] Non anno 1623 ut fere omnibus encyclopædiarum notitiis adhuc refertur.

[4] Francisci Guillimanni De episcopis Argentinensibus liber commentarius, etc. Friburgi Brisgoviæ, apud Josephum Lang, 1608, VI, 463 pag. 4°.

[5] Opus Guillimanni Caroli Lotharingici successori, Leopoldo Austriaco dedicatum est.

[6] Guillimannus, p. 94.

rectorem rege Dagoberto I, anno 640 circiter vixisse putat nec episcopatibus noni decimique sæculi certum ullum datum chronologicum addere ausus est quum ex historicis modo fontibus, non e legendis, narrationis materiam haurire vellet. Interdum et duas ejusdem facti versiones prudenter adducit, ut, exempli gratia, quum de loco sepulturæ Gualteri de Geroldseck episcopi agit. Et monasteriorum alsaticorum fundationes e documentis archivorum elucidare conatus est, et primo ei in mentem venit, Kœnigshovii chronicon manuscriptum edere historicis utile fore[1]. Quare si temporum rationem habebis, facile Guillimannum, cum Carolo Hegelio honestum criticum dices, qui omnia præstitit quæ tum præstari poterant[2], opusque ejus cum Xaverio Wegelio optimum fuisse proclamabis eorum quæ de rebus Argentinensium illis temporibus conscripta sunt[3].

Paulo latius Jodocus Coccius, sive Koch, e Societate Jesu, mense aprili anno 1581 in Treviris natus, Leopoldi archiducis et episcopi Argentoratensis confessarius et in nova Academia Molshemiana professor nec non cancellarius opus de originibus episcopatus Argentinensis conscripsit, quod post mortem ejus præmaturam (denatus est Coccius Rubeaci, 25 octobris 1622) a collegis in lucem editum est[4]. Quod viginti octo in capita distributum non modo historiam antiquissimorum temporum ecclesiasticam, sed topographiam etiam Austrasiæ et Alsatiæ amplectitur; « situs, ambitus et flumina » describuntur monasteriaque a regibus Merovingicis Maurimonasterii, Neovillari, Haselach, etc. fundata. Dagoberti quoque Magni majores, acta, frequentes in provinciam adventus, elogia ei post mortem tributa auctor ibidem tradit; capite vero XXVIII, sane quidem superfluo, Dagobertum catholicum fuisse demonstrat. Excursus plures, plus minusve eruditos in appendice

1 Guillimannus, p. 56.

2 *Strassb. Stædtechroniken*, I, p. 71.

3 Wegele, *op. cit.*, p. 399. Confer etiam p. 370-375.

4 Dagobertus rex Argentinensis episcopatus fundator prævius quem in Alsatia redivivum notisque illustratum publico donabat Jodocus Coccius Soc. Jesu theologus, etc. Molshemii, typos Joh. Hartmann, 1622, 248 p. 4°. Opus comiti Hermanno Adolpho de Salm, episcopatus gubernatori dedicatum est.

habet, diplomata et chartas varias, licet et spurias, ex archivis episcopalibus vel partim vel totas adductas. Cujus dissertatio tamen in perpetua confusione de fundationibus a Dagoberto I et a Dagoberto II, abnepote ejus, factis versatur, quam et illustriores posterioribus temporibus non vitaverunt[1] quum de secundo illius nominis rege pauca vel nulla tum cognita essent, et in legendis certe unus modo Dagobertus commemoraretur. Politico vero studio Coccium opus suum conscripsisse ut incolis Alsatiæ regem Galliæ benefactorem fuisse demonstraret non verisimile mihi videtur quod nec optaverit nec providerit auctor eam rerum mutationem qua duodecim annis post provincia sub ditionem Ludovici XIII, Dagoberti successoris venit.

Bello tricenni jam sæviente, pauca vel nulla scripta de provinciæ nostræ historia commemoranda sunt, temporum enim barbaries musis invisa erat, et si alibi eruditione claruerunt historici, in Alsatia fere neminem invenies qui res in patrio solo gestas studiis investigaverit. Etsi Johannes Henricus Bœclerus inter doctissimos illius ætatis præclarus[2], eloquentiæ magis quam eruditioni deditus, vix unam aut alteram ex dissertationibus suis rebus gestis nostris consecravit, brevi tamen notitia hic commemorari debet quum Argentorati scripserit Alsaticæque eruditionis antesignanus illustrissimus coævis visus sit. Natus est Cronheimii, in Franconiæ vico, die tertio decimo februarii 1611, et adolescens adhuc Argentoratum venit ubi primum in gymnasio magister, tum in universitate professor eloquentiæ constitutus, anno 1637 historiæ cathedram conscendit quam (si annos 1649-1654 Upsaliæ actos excipis) ad annum usque 1672 obtinuit, quo decimo secundo septembris die a vita discessit[3].

Dissertationes academicæ, quas ipse primum anno 1658 col-

[1] Cfr. Joh. Henricum Albers, *Kœnig Dagobert in Geschichte, Legende und Sage*, 2. Ausgabe, Leipzig, 1884, 8°.

[2] «*Seine theoretisch-geschichtlichen Arbeiten sind das gediegenste und gedankenreichste was damals in Deutschland geschrieben wurde.*» Id Xaverii a Wegele judicium, *op. cit.*, p. 478-479.

[3] O. Berger-Levrault, *Annales des professeurs des Universités alsaciennes*, p. 26.

legit, secunda editione Argentoratensi apud Dulsseckerum anno 1701 editæ, tertia quoque vice anno 1712 in lucem prolatæ sunt[1]; in quibus nihil ad nos, nisi forte *De Rodolpho Habsburgico Germaniæ instauratore*[2] et *De rebus sæculi ad Christum natum IX et X per seriem Germanicorum Cæsarum commentarii*[3] citandi sunt, opuscula « prudenter scripta, ut habet Buderus, sed absque testibus, quæque vix ultra vulgaria ascendunt[4] ».

Pristinam Ecclesiæ Alsaticæ historiam theologi duo tractaverunt lutherani. Quorum alter Mag. Johannes Huber, Argentinensis (natus 1612, denatus 7 aprilis anni 1693 in parochia S. Guillelmi pastor) sermoni de instauratione et amplificatione templi Guillelmitani solemni, anno 1656 habito, varios excursus historicos adjecit de S. Guillelmo Aquitaniæ duce et de Guillelmitis (p. 44-68); de successione landgraviorum Alsatiæ et de juribus eorum (p. 69-116); de fundatione antiquissimi monasterii S. Stephani et de monumentis sacris ibidem servatis (p. 117-202). Quod scriptum etsi multa legendaria habet et studio theologico magis quam critico ingenio eminet, non omnino spernendum est quod auctori ex archivo capituli virginum nobilium S. Stephani, cui tunc temporis etiam S. Guillelmi pastores adjuncti fuerunt, nonnulla excerpere licuit[5].

Quantum valuerint lutheranorum dogmata et in quantam servitutem tunc eruditionem redegerint, perspicitur ex libro alterius celeberrimi tum Argentinensis theologi, Balthasaris Bebelii[6], qui inscribitur: « *Antiquitates Germaniæ primæ et in hac Argentinensis*

[1] J. H. Bœcleri Opera in quatuor tomos distributa historici-politici, moralis, litterarii et critici argumenti cum præfatione J. A. Fabricii. Argentorati, Dulssecker, 1712, 4°.

[2] Tom. II, p. 246-283.

[3] Tom. III, p. 1-293.

[4] Corpus historicum Germaniæ, ed. Struve, Dresdæ, 1755, 4°, tom. I, p. 182.

[5] *Christliche Danck- und Denck-Predigt bey glücklich vollbrachter Erweitterung und Vernewerung der Pfarrkirch zu S. Wilhelm, etc. durch Mag. Joh. Hubern*, Strassburg, Stædel, 1657, 4°.

[6] Natus et Balthasar Bebelius Argentorati, vicesimo octavo die octobris, anno 1632, professor in Universitate patria fuit per anos 1661-1686, tum Wittembergiam abiit eodemque anno, secundo octobris die, ibidem fato concessit.

Ecclesiæ evangelicæ[1] », in quo opusculo « patribus patriæ » dicato quatuorque articulis seu capitulis diviso, primum de religione, cultu, theologia et anthropologia (sic!) Triboccorum, testibus Kœnigshovio et Bernhardo Hertzogio, disserit. Articulo secundo historiam S. Materni, S. Petri apostoli discipuli, qui primus per Alsatiam doctrinam christianam sparsit, Sancti Amandi, Sanctæque Aureliæ et undecim millium virginum fata tractat, et quanquam S. Aureliæ et undecim millium asseclarum legendam suspectam esse putat, ea quæ de Sancto Amando et de Sancto Materno traduntur non in dubium vocat[2]. Articulus tertius, « de catechesi veterum Triboccorum », doctrinam evangelicam quasi vinculo et affinitate quadam cum Patrum doctrina conjunctam esse docet; in articulo quarto « de externa forma ecclesiæ » perlustrando, nescio an Bebelio duce adducamur ut nobis persuadeamus jam antiquissimos Alsatiæ incolas, sæculo primo aut certe secundo post Christum natum paragraphis Augustanæ Confessionis invariatæ imbutos fuisse.

Neque tamen nimis mirum est illis temporibus a theologis historicas materias minima ingenii libertate tractatas esse quum ipsi eruditi rerum historicarum scriptores perraro illa animi libertate in scriptis suis usi sint. Inter quos, exeunte sæculo septimo decimo, Ulricum Obrechtum naturæ dotibus maxime locupletatum habes, illius Georgii filium, senatus minoris procuratoris qui propter atroces quosdam libellos in magistratum civitatis occulte sparsos, atrocissimo judicio anno 1672 capite damnatus est. Natus est Ulricus noster vicesimo tertio die julii, anno 1646 atque Johannis Heinrici Bœcleri gener factus, anno jam 1673 in Academia Argentinensi professor ordinarius constitutus est[3] histori-

[1] Argentorati, J. F. Spoor, 1669, XIV, 254, p. 4°.

[2] « Hæc historia, aut fabula *ut Bernhardus Hertzog censet*, in choro ædis S. Petri imagine expressa est. » Antiquitates, p. 38.

[3] De Ulrico Obrechto ad nostra usque tempora nemo accuratius scripsit quamvis et vir eruditus et politicus satis gratiosam narratori materiam præbuerit, quodcumque judicium de moribus ingenioque hominis enunciandum est. Cfr. Berger-Levrault, *Annales*, p. 170, et Grandidier, *Œuvres inédites*, tom. V, p. 185.

cisque studiis incubuit, et « copiosos rerum Alsaticarum commentarios editurus, prodromum unum præmisit... si quis unquam, par huic labori » ut Schœpflinus ait [1]. In præfatione operis verbis omni laude dignis officium historici scriptoris exponit, veritatem e tenebris eruendam, omnia quæ vel a fingentium vanitate vel ab ignorantia et superstitione credentium originem aut falsam speciem traxerint, eliminanda esse censet, modestissimisque precibus exclamat : « Detur modo intueri purum illud atque intemeratum lumen et quicunque poterit voletque detecti luminis gloriam ferat. »

Tum in procemio totius operis futuri, auctor quæ sibi proposuerit eruditis commilitonibus enunciavit, quæ, etsi nunquam absoluta sunt, tamen quasi indicem futurorum laborum habere possumus. « Examinabuntur, ait Obrechtus, traditæ ab aliis, volumine primo, origines nominum, gentis, dominationis in his regionibus romanæ, francicæ, germanicæ, gallicæ ; episcopatus Argentinensis ; ducatuum in Alsatia Allemanici et Lotharingici ; landgraviatuum superioris et inferioris Alsatiæ; præfecturæ Imperialis et Hagenoviensis. Volumine secundo fundationes abbatiarum et monasteriorum, ortus illustrium et nobilium familiarum, initia urbium et oppidorum. Volumine tertio fines regionis et locorum situs, series temporum, consiliorum et eventuum memorabilium narrationes. Volumine quarto præsidia historiæ alsaticæ petita a chronicis, annalibus, Vitis editis, ineditis, peregrinis, domesticis, antiquis, recentioribus, e diplomatibus et instrumentis privilegiorum fundationum, donationum, testamentorum, e tabulis genealogicis, ex indicibus ludorum equestrium, inscriptionibus sepulcrorum, matriculis, actis, documentis aliis... Quæ tamen non publicabuntur ea serie qua hic se invicem excipiunt sed prout rerum temporumque indoles feret. »

[1] Ulrici Obrechti Prodromus rerum Alsaticarum. Argentorati, apud Simonem Pauli, 1681, X, 332 p. 4°. — Et Johannes Petrus de Ludewig, historicus suo tempore celeberrimus, Obrechti scientiam magni habebat, « cujus obitus omnem nobis spem destruxit certioris historiæ rerum Alsaticarum. » (*Germania princeps*, edit. nova, Ulmæ, 1752, p. 99.

De quo mirabili programmate, infelici quodam casu ab auctore perpauca modo in *Prodromo* tractata sunt, cujus tredecim capita dissertationibus præsertim polemicis contra Chiffletium, Blondellum, Coccium, Guillimannumque implentur, nullo nexu inter se conjunctis. Primo loco de Triboccis, num nomen celticum sit, a tribus fagis (*Drey Buchen*) deductum[1], de Alsatiæ nomine, de Argentorato, num inter castella a Druso ædificata numerandum sit quæstiones facit. Tum de divisione francicorum regnorum disputat, Alsatiamque aliquandiu Lotharingici deinde germanici Francorum regni partem fuisse demonstrat, et quæ Franciæ occidentali seu coronæ gallicæ in ea provincia juris competant, ea neque e successione Ludovici IV Ultramarini nec e transactione Alberti I Habsburgensis cum Philippo Pulchro sed omnino e pace Monasteriensi repetenda esse[2]. Capitulo tum octavo quærit auctor num cessione pacis Westphalicæ regi Alsatia tota translata fuerit et hac transactione « omnia loca omnesque ditiones in Alsatia sitas neutiquam includi » declarat[3]. Capitulo nono Dagobertum regem episcopatus Argentinensis fundatorem fuisse, decimo vero ducatum Alsatiæ ducibus Lotharingiæ superioris adscriptum fuisse denegat[4]. Quæ de landgraviatus Alsatiæ origine ac antiquitate exponit præsertim polemice contra Chiffletium Blondellumque dicta sunt et si ex eo quæritur quid de præfectura Haganoensi sentiat, cui caput tertium decimum consecratum est, quod tunc temporis « multa de locis et juribus dependentibus a dicta præfec-

[1] Serio quoque amici cujusdam hypothesin enuntiat Triboccorum nomen idem verbum esse quod *Drywohner* (dialectice pro *Die am Rhein wohnen*), quo Rheni accolæ significantur! (p. 3.)

[2] Pag. 150 etiam « omnem in Alsatia gallici regiminis originem a pace Westphalica procedere » affirmat.

[3] Cujus affirmationis causa Obrechti liber a regis Galliæ aulicis et jurisconsultis vehementer increpitus est et quum paucis mensibus post respublica Argentinensis armis Ludovici XIV cedere coacta fuit, opus auctoris qui mox fidissimum novi regiminis instrumentum dici potuit, auctoritate regia suppressum est.

[4] In quo puncto elucidando factum est ut Obrechtus Othonis II imperatoris diploma ad Erckenbaldum episcopum de anno 1082 mutilaret quo facilius ex eo argumentari posset quum sententia plane contraria ex documenti contextu facile probari possit, quare eum Andreas Grandidierius non falso ut falsarium notat (*Histoire de l'Église*, II, p. 39.)

tura... in lite et controversia versantur» opinionem dicere recusat sed eam in ulteriore operis parte dicturum se pollicetur, quæ pars tamen nunquam prelo subjecta fuit[1]. Nam urbe dedita advocatus civitatis et postquam religionem mutavit, prætor regius a Ludovico XIV nominatus (1685), studia historica persequi nec voluit nec potuit quum admodum variis negotiis publicis legationibusque ad Germaniæ proceres frequentissimis distineretur nec opiniones illis quas in *Prodromo* exposuerat contrarias enunciare voluisset, etiamsi locus tempusque eum non defecisset. Post ejus mortem (denatus est sexto die augusti, anno 1701) *Academica* sua uno volumine collecta ab anno 1664 cum præfatione Johannis Caspari Khunii recusa sunt[2]; in quibus autem dissertationes, orationes et programmata nulla ad nostra studia pertinentia invenimus quum nec de philosophia celtica, nec de abdicatione Caroli Quinti verba facienda nobis sint; et quintæ vix dissertationis, *de vexillo imperiali,* ubi de antiquo vexillo Argentinensium tum in archivo civitatis servato (quod anno 1870 incendio bibliothecarum combustum est) fusius loquitur, mentionem facere nos oportet.

Etsi prætor regius novus ipse a patria historia scribenda destitit, continuatorem tamen operis Argentoratum arcessivit, Johannem Schilterum, Misnio-Pegaviensem, quem tum Francofurti ad Mœnum degentem et doctissimis scriptis et privatis lectionibus longe notissimum Obrechtus magistratui proposuit ut advocati civitatis officio fungeretur. Nec Schilterus, Philippo Jacobo Spenero, celeberrimo Alsatico theologo, qui tunc temporis ipse Francofurti concionator erat, suadente[3], vocationem abnuit an-

[1] Prodromus, p. 332. Et hic Obrechtum callidum et ingeniosum magis quam honestum scriptorem invenimus, quum honestatem maximam sine ullo dubio ad historiam scribendam virtutem æstimare debeamus. Eruditionem ex indice auctorum vastam dicere possumus, ubi fontes tunc temporis notos, typis expressos, fere omnes et nonnullos etiam manuscriptos suo ordine invenies.

[2] Argentorati, apud Albertum Spoor, 1704, 1 vol. 4°.

[3] Spenerus hoc loco Schilteri amicus nominatus, et ipse in historicorum catalogo enumerandus, quum non solum «pater pietismi» dici potest ut, et hodie, a theologis vocatur, sed etiam «pater doctrinæ heraldicæ». Ribaldovillari natus 1635, Berolini denatus 1705, vir pietate et scientia eximius nihil ad Alsaticam

noque 1686 advocaturam simul et juris lectionem in Universitate Argentinensi suscepit[1] et quamdiu vixit (quarto decimo die maji, anno 1705, longum post morbum obiit) consiliarius et professor optimus fuit. Sed quanquam jurisconsultus juris germanici feudalis et praxeos juris romani in foro germanico peritissimus exstitit, historicis tamen studiis et speciatim alsaticis non spernendum tributum solvit. Nemo est quin sciat *Thesaurum antiquitatum teutonicarum* opus ejus postumum tribus voluminibus in folio anno 1728 Ulmæ in lucem editum esse[2]. Et *Jus statutarium reipublicæ Argentinensis* cum commentariis compilavit, qui codex nondum ex archivi obscuritate deductus est[3]. Primus vero omnium, post Cuspinianum, chronici mediævalis textum typis mandavit ut in paragrapho de Regiovillano diximus, opus sane quidem erroribus et mendis non omnino vacuum sed et hodierno die acceptissimum quum permulta documenta quæ Pegaviensis jurisconsultus Kœnigshovii textui adjecit nunc quoque nusquam nisi in editione *Alsatici et Argentoratensis Chronici* reperiri possint. Et notanda sunt quæ de historicorum officio nec non de utilitate fabularum et legendarum attento animo perlustrandarum ingeniose in præfatione sua exposuit[4].

Hactenus eruditos modo historiarum scriptores enumeravimus. Reliquum est ut raptim nonnulla opuscula commemoremus quæ

historiam speciatim scripsit, tamen auctorem (Insignium theoria seu operis heraldici pars generalis. — Historia insignium illustrium seu operis heraldici pars specialis. Francofurti, Zunner, 1717, 2 vol. fol.) suo tempore et inter eruditos probatissimum nostris in pagellis non omnino prætterire volui.

[1] De Johanne Schiltero vide Carolum Giraud, *Eloge de Jean Schilter* (Strasbourg, 1845, 8°) et Rodolphum Reuss, *Jean Schilter* in opere *Biographies alsaciennes*, Colmariæ ab Antonio Meyero per annos 1887-1891 publicato. Catalogum scriptorum ejus in *Thesauro antiquitatum teutonicarum* ad calcem voluminis secundi invenies.

[2] *Thesaurus* et rerum Alsaticarum varia continet inter quæ Otfridii Wissemburgensis monachi carmen heroicum de Christo (*Krist*) commemorare sufficit.

[3] Et in bibliotheca civitatis Argentinensis Schilteri compilationem illam manuscriptam invenies, 537 paginarum in-folio (Mss. n° 332).

[4] «*In massen es ein gross stück der historischen Wissenschaft dass man auss solchen büchern... ersicht wass in jedem Jahrhundert vor Meinungen und Wahne vor Wahrheit gehalten worden.*»

historico-politica vocari possunt, etsi jure stricto ad historiographiam alsaticam non pertinent. His adnumerandus est Johannes Jacobus Chiffletius, archiater hispanus regius, eques et comes palatinus, qui Vesontione anno 1588 natus, Bruxellis vero anno 1660 denatus, inter permulta scripta sua in laudem Austriacæ domus Madrilenensis et *Alsatiam jure proprietatis et protectionis Philippo IV regi catholico vindicatam* conscripsit[1], in qua demonstrare conatus est Austriacis ducibus e stirpe Vindobonensi legitimam potestatem Gallis Alsatiæ pace Monasteriensi cedendæ non fuisse, quod hac in provincia « jus quidem antiquum sed hactenus ignoratum, *protectionem* videlicet Alsatiæ Regi Catholico adstruit, uti duci Luxemburgensi, idque allatis monumentis omni exceptione majoribus et luce publica dignissimis. » Quæ ex Guillimanni *Habsburgiacis*, ex Alberto Argentinensi Guebwyleroque ad probandam ducum Luxemburgensium advocatiam Alsatiæ hæreditariam affert, historicam auctoris eruditionem minime confirmant[2] etsi ratio status politica speciosis argumentis hoc in opusculo exponitur[3].

Eadem de causa et Johannem Michaelem Moscherosch consignabimus, poetam satiricum celeberrimum, Wilstætti in comitatu Hanoviensi transrhenano natum, procuratorem fiscalem Argentoratensem, postea consiliarium hanoviensem, Wormatiæ anno 1669 denatum. De poeta *Epigrammatum*, de narratore erudito atque jucundo *Visionum Philandri de Sittewaldt*, de morali scriptore cui libellum *Insomnis cura parentum* inscriptum debemus, nihil est quod hoc loco dicam, quum unice de historicis Moscheroschii opusculis mentionem fieri oporteat quæ temporibus pacis Monasteriensis in lucem edidit ut Alsatorum animos, tempora peracta

[1] Antverpiæ, ex officina Plantiniana Balthasaris Moreti 1650, 83 pag. in-folio.

[2] Etiamsi Luxemburgicis jus advocatiæ per Alsatiam concedatur, nullo modo historicis argumentis demonstrari potest Burgundiæ duces hanc advocatiam exercuisse et multo minus eam a Philippo Bono ad Philippum IV Hispaniæ regem translatum fuisse.

[3] Opusculi nostri argumentum præcipuum in dedicatione ad Regem satis candide exponitur : « Si Francis relinquatur Alsatia solvetur antiqua illa ditionum tuarum compages nec in posterum sibi mutuo adesse poterunt. »

quasi ante oculos iis revocans, contra Gallorum auctoritatem (quæ tamen in ipsius scriptis manifesta est) excitaret. Itaque ex epistola Desiderii Erasmi Roterodami ad Jacobum Wimphelingium, ex anno 1514, *Imaginem reipublicæ Argentinensis contemplandam atque imitandam patriæ juventuti* exhibuit[1]; itaque illam superiore quodam paragrapho designatam translationem *Germaniæ* Wimphelingii in lucem protulit[2]; itaque tandem ejusdem *Catalogum episcoporum Argentinensium* denuo prelo tradendum curavit[3], non tam historicæ disciplinæ studio impulsus, quam acerrimus patriæ libertatis propugnator.

Eodem ex odio Gallicarum partium nata sunt semisæculo fere postea opuscula Friderici Schraagii Argentinensis jurisconsulti[4] duo, quorum unum *Libertas Argentoratensium stylo Ryswicensi non expuncta*[5] collectionem documentorum authenticam, missivarum, declarationum, protestationum civitatis relationumque de capitulatione et occupatione ejus, decretorum Consilii Alsatiæ juridici supremi, alia præbet, ad historiam Argentinensem illorum temporum conscribendam sane quidem utilissimam. Alterum opus *Nullitas iniquitasque reunionis Alsaticæ* inscribitur[6], et in prima parte dissertationem juridicam continet, ubi de præfectura Haganoensi auctor disserit regisque Galliæ vindicationes repellit, spe futuræ pacis impulsus quæ Neomagensia Ryswicensiaque pacta ruptura esset ; secunda vero voluminis pars cartularium est septua-

[1] D. E. R. Imago reipublicæ Argentinensis... exhibet J. M. Moscherosch. Argent. typis Mulbianis, 1648, 4°.

[2] *Tutschland Jacob Wimpfflingers... zu Eren der Statt Strassburg... jetzt nach 147 iahren in truck geben durch Hans Michel Moscherosch.* Strassburg, 1648, 4°.

[3] Jacobi Wimphelingii Catalogum episcoporum Argentinensium ad sesquisæculum desideratum restituit J. M. Moscherosch, Argentorati, 1651, 4°.

[4] Fridericus Schragius, Adami filius, natus est Argentorati, decimo decembris die anno 1647, professuram juridicam in universitate patria anno 1673 accessit, tum et reipublicæ consiliarius per aliquot annos fuit, anno vero 1698, quum pax Ryswicensis Ludovico regi civitatis possessionem confirmaret ex urbe migravit et Wetzlariæ, cameræ imperialis assessor creatus ad annum usque 1718 vixit.

[5] Sine loco (sed verosimile Wetzlariæ), 1707, in-4°.

[6] Nullitas iniquitasque reunionis Alsatiæ sive revisio actorum præparatoria, etc. S. loco, 1707, 136, 126 p. 4°.

ginta trium documentorum ab anno 1332 ad annum 1702, quibus jura præfecturæ negotiationesque cum decem civitatibus imperialibus inde a tempore pacis Westphalicæ continentur, etiam nunc ad historicorum usum valde commodum. Historiographiæ autem alsaticæ re vera neutrum Schraagii opusculum adnumerari potest.

De eruditis illis denique hujus ætatis verba pauca facienda sunt a quibus antiquitates provinciæ sive collectæ sive descriptæ sunt, quorum nonnullos sæculo septimo decimo præsertim apud Argentoratenses invenimus. Unus tamen præter cæteros eminet, Ludovicus Balthasar Kuenast, civis Argentoratensis, musæo suo (vulgo *Raritætenkammer*) tum celeberrimus[1], qui et Chronicon, mediante sæculo, conscripsit[2], quod cum bibliothecis nostris deletum est, et aliud scriptum cui idem fatum obtigit, *Argentoratum sacro-profanum*, quod interdum sub titulo *Beschreibung der Stadt Strassburg* citatur[3] et multa anecdota, legendas narrationesque poeticas de præcipua Alsatiæ civitate servaverat[4], et quod fortasse ab aliis Kuenastiæ stirpis agnatis post ejus mortem continuatum est.[5]

His eruditis vel partim Berneggeros ambos adjungere licet, nam pater, Matthias Bernegger, in Universitate Argentoratensi historiarum et eloquentiæ professor celeberrimus[6], *Formam reipublicæ*

[1] De Kuenastii musæo vide A. Benoît, *Collectionneurs alsaciens, Revue d'Alsace*, 1875, p. 54 ss. et R. Reuss in periodico *Affiches de Strasbourg*, 8 sept. — 2 oct. 1880. De vita ejus nihil afferre possum nisi quod anno 1589 Argentorati natus, ibidem anno 1667 defunctus est. Filius, Ludovicus Philippus Kuenast procurator apud senatum majorem fuit (1687).

[2] Citatur et apud Friese (*Vaterlændische Geschichte*, II, p. 295) et apud Ludovicum Schneegans (*Strassburgische Geschichten*, p. 117).

[3] Codex erat satis amplus quum Ludovicus Schneegans in opere citato paginam 464 alleget, et ab illo (*Str. Geschichten*, p. 32, 34, 107, 117, 124, etc.) et ab Augusto Stœber (*Elsæssische Sagen*, p. 302, 420, 424, etc.) Kuenastii *Argentoratum* frequenter citetur.

[4] Exempli gratia spurium anecdoton de rege Galliæ, Henrico II et de bombarda permagna quæ Parus dicebatur (*Die Meis*) ille primus narravisse videtur, ex cujus usu Argentoratenses ad hanc diem nomen irrisorium *Meiselocher* habent.

[5] A Philippo præcipue Ludovici filio, si Kochio fidas, qui (P. Le Long III, p. 589) Collectaneorum Kunastianorum volumina duo ad annum 1708 continuata fuisse et in Bibliotheca Civitatis asservari affirmat.

[6] Natus est anno 1582 Halis in archiducatu Austriaco, Argentorati vero anno 1642 defunctus. De quo vide doctissimum Caroli Bungeri opus, *Mathias Bernegger, ein Lebensbild*, Strassburg, Truebner, 1893, 1 vol. 8°.

Argentinensis delineavit et filius, Casparus, secretarius magistratus tum et ipse consul reipublicæ († 1675) eam fusius exposuit [1].

Et Israelis Murschelii [2], Episcopovillaris ministri opusculum *Flos reipublicæ Argentinensis* [3] hic commemorandum quod, sicut in Berneggeri dissertatione, liberæ civitatis regimen satis erudite sed non bene digesta oratione exponitur [4]. Antiquaria studia ne sacris ejus concionibus quidem defuisse ex *Sermone consolatorio Alsatico* ad annum 1648 comperimus, ubi notulas de reliquiis legionis octavæ prope Argentoratum inseruit quæ certe illo loco non exspectabantur [5].

§ 24. De clericis historiæ monasteriorum et rerum ecclesiasticarum Alsaticarum per sæcula XVII et XVIII scriptoribus.

Priore jam capite Guillimanni Cocciique exemplo docuimus quanto ardore sæculo XVII initiante scriptores catholici historiæ alsaticæ studium iterum amplexi sint; quæ regeneratio, ut ita dicam, scriptorum ecclesiasticorum post belli tricennis furores magis magisque per ultimos sæculi annos et in sæculo proximo frequentior facta est, præsertim in illa historiarum provincia quæ fere jure ad eos pertinebat. Vitas igitur Sanctorum, monasteriorum fata ordinumque sacrorum progressus multis in libris, seu germanico seu gallico sermone, ut lectores quam plurimos haberent,

[1] Editio prima apud Simonem Pauli, Argentorati anno 1667 prodiit in-4°, secunda ibidem, sed valde locupletata anno 1673 vulgata est (231 pag. in-32), quo in rarissimo libello series prætorum atque consulum reipublicæ ab anno 1332 ad annum 1674 usque, prima vice inserta est, ad historicorum usum utilissima.

[2] Balingensis ortu ex Wirtembergico ducatu, Murschelius Bischofsheimii seu Bischen prope Argentoratum pastor fuit ad annum 1658 annoque 1667 e vita decessit.

[3] *Flos reipublicæ Argentinensis, d. i. Regimentsblume oder Abtruckh, etc.* Strassburg, Joh. Pickel, 1653, 52 pag. 4°.

[4] Affert quidem nonnulla e fontibus ineditis ut ex *Libro pulsuum* in archivo Ecclesiæ majoris Argentinensis.

[5] *Elsassische Trostpredigt, etc.* Strassburg, 1648, 4°.

conscriptis, invenimus quos omnes uno paragrapho colligere constituimus, ubi, quoad nota sunt, hæc eorum opera seu opuscula seriatim recensere possemus. Quanquam pars eorum non minima mediocriter erudita est et legendas fictionesque medii aevi vix ex historia depulsas iterum tradit, nihilominus spectaculum admiratione quadam dignum ingenio critico præbet clericorum intentus ille labor quo Ecclesiæ potestatem per Alsatiæ regiones non modo controversiis theologicis sed etiam descriptione antiquitatum catholicarum restituere aut firmare conantur. Nec mihi in dubio est quin plerique hujus generis codices seu in bibliothecis seminariorum aut in archivis collegiorum et parochiarum, sive etiam in manibus privatorum adhuc lateant, quibus catalogus noster valde augeri possit et quos paulatim detectum et a doctis Alsatiæ clericis perstrictum iri sperandum est.

Inter omnes alsaticos scriptores ecclesiasticos ex temporibus belli tricennis et decenniorum insequentium Bernardinus Buchinger maxime conspicuus fuit, non solum quod a rege Ludovico Mazarinoque cardinali maximis honoribus ornatus Consilioque regio Ensishemiano adjunctus est actisque suis indefessus Ecclesiæ romanæ per Alsatiam restaurator exstitit, sed quod assidue monasteriorum quibus præerat historiam conscripsit cæterosque ad imitationem accendebat. Natus est Kienzhemii, in Alsatia superiore, vicesimo secundo die mensis januarii, anno 1607 et vix quatuordecim annos natus in monasterium Parisiense intravit ubi vota monastica anno 1624 suscepit. Triginta annis postea Lucellensis et Mulbrunnensis abbas electus, monasteria bello vastata et collapsa virili labore instauravit et in specie Lucellam, jam quatuor et viginti annos desertam, anno 1656 iterum rite consecravit. Quum ei adhuc adolescenti bibliothecæ et archivi cura demandata esset, superiorum jussu annales satis amplos congessit et, ut ipse in præfatione *Epitomes* ait, eos sub Fastorum Lucellensium titulo in lucem produxisset, nisi furibundi Martis diuturni motus eum persæpe tergum vertere coegissent. Epitome solum igitur, germanico idiomate descripta, anno 1656 edita est, cui anno 1667 latino sermone alterum successit opus *Epitome fastorum Lucellensium*,

qua monasterii S. Mariæ de Luciscella, ordinis Cisterciensis, diœcesis Basiliensis, origo, fundatio, progressus... explicantur [1]. Accessit et monasteriorum Mulbrunnensis et Parisiensis brevis descriptio. Ad quod opus scribendum Buchingerus et chronicis iis et annalibus cœnobii usus est quos jam in paragrapho undecimo enumeravimus, antecessorum nomine conscriptis, et chartis, bullis pontificum aliisque documentis quæ in archivo abbatiæ servata in appendice partim ad verbum edidit; seriem quoque abbatum, scriptores qui Luciscellæ floruerunt topographiamque vicinarum regionum exposuit: opus denique pro tempore satis eruditum confecit [2].

Scripsit Buchingerus, ut ipse ait (*op. cit.* p. 230), Chronicam quoque monasterii Mulbrunnensis in Suevia ampliorem nec non chronicam Parisiensis cœnobii in Alsatia superiore [3], et historiam compilavit miraculorum a sacris Beatæ Virginis et S. Johannis Evangelistæ imaginibus Kienzhemii actorum, quæ circa annum 1665 typis evulgata est. Idem vitas S. Leonis papæ et aliorum sanctorum diœcesis Basiliensis, et in primis res a S. Leone IX in patrio Alsatiæ solo [4] gestas conscripsisse dicitur, quæ scripta, si re vera exstant nobis ignota permanserunt.

Et *Diarium* ejus exstat latinum, omnium ejus scriptorum ad delectationem lectoris certe aptissimum, in bibliotheca Collegii Societatis Jesu Bruntruti servatum, ex quo doctissimus canonicus Vautrey excerpta perpauca de itineribus Buchingeri per Alsatiam

[1] Bruntruti, apud J. H. Straubhaar, anno 1667, 359 p. in-16.

[2] Cfr. etiam Alphonsum Coste, *L'abbaye de Lucelle, fragment d'histoire littéraire* (*Revue d'Alsace*, 1855, p. 199) et Augustum Quiquerez (*Revue d'Alsace*, 1865, p. 445).

[3] Extractum ex hoc chronico sane quidem in pagellis a Julio Rathgeber editis (*Die Herrschaft Rappolstein*, p. 48 ss. et *Revue d'Alsace*, 1874, p. 109 ss.) habemus, sed quia Buchingerus anno 1673 e vita decessit, notitiæ vero ad annum 1680 decurrunt, chronicon ab alio continuatum fuisse manifestum est.

[4] Nostris diebus magna contentio inter clerum Argentinensis diœcesis et extraneos exorta est num S. Leo IX papa lotharingicis vel alsaticis sanctis adnumerandus sit quum e stirpe comitum de Eguisheim in Alsatia natum, in arce tamen lotharingica Dagsburg in lucem editum fuisse nonnulli affirment. Re vera fontes nullam quæstionis enodationem præbent, vulgaris vero regionis nostræ opinio Leonem papam alsatum semper putabit.

annis 1655-1659 in lucem edidit[1], quod si totum typis mandaretur omnibus quos historia illorum temporum allicit valde acceptum esset.

Fastorum Lucellensium epitome Buchingeri continuata est ad finem pæne sæculi XVIII et excerpta continuationis non omnino contemnendæ, a monacho abbatiæ anonymo, vel a pluribus conscriptæ, evulgata sunt[2]. Hoc denique loco et aliud manuscriptum de monasterio nostro notare liceat, *Miscellanea Luciscellensia, das ist Luetzlisches Mischgemasch,* seu, ut titulus ipse indicat, farraginem variarum rerum a fratre Bernardino Walchio, qui in cœnobio ab anno 1720 degebat, circa annum 1749 duobus in voluminibus compilatam, quorum alterum in conventu S. Mariæ Virginis ad Petram, alterum, tunc temporis, apud doctissimum virum Augustum Quiquerez Delemontii præfectum repositum erat[3].

Historiam vero Alsatiæ ecclesiasticam antiquissimam critico ingenio denuo tractare conatus est R. P. Berain, qui Lutetiæ Parisiorum anno 1646 natus, canonicatum in abbatia Haslacensi impetravit, ubi et capituli custos electus ad octogesimum secundum vitæ annum (1723?) remansisse fertur. Is RR. PP. Benedictorum et præsertim D. Calmeti, tunc temporis Monasteriensis cœnobii vice-præpositi auxilio, historiam obscuram trium Dagobertorum cum vita S. Florentii, pii Haslacensis monasterii fundatoris et episcopi Argentinensis conscripsit[4]. Dedicatum est cardinali Rohanensi episcopo canonici nostri opusculum, quatuor in capita distributum in quo, contra Coccium, diploma fundationis Haslacensis spurium esse atque Wimphelingium in catalogo suo erravisse demonstrat[5] multum auctoritate diatribes Godofredi Henschenii, Soc. Jesu, innisus[6].

[1] *Revue catholique d'Alsace,* 1869, p. 441 ss.

[2] *Revue catholique d'Alsace,* 1859, p. 137, 183, etc.

[3] *Revue catholique d'Alsace,* 1859, p. 145. Ubi nunc temporis lateant prorsus ignoramus.

[4] *Mémoires historiques sur le règne des trois Dagobert au sujet des fondations de plusieurs Églises d'Alsace, faites par le Saint Roy Dagobert Second, etc.* Strasbourg, Rousselot, 1717, XXII, 97 p. in-16.

[5] Dicit auctor se velle «*convaincre les esprits les plus prévenus en faveur de nos historiens d'Alsace que la plupart ne méritent aucune foy.*» (p. 88.)

[6] De tribus Dagobertis Francorum regibus diatribe. Antverpiæ, apud Jacobum Meursium, 1655, 4°.

Aliud Haslacensis cujusdam canonici opus de eadem materia semisæculo recentius exaratum, nullam studiorum progressionem significat. *Vita* enim *S. Florentii* a Francisco Philippo Louis, professore theologiæ in Universitate episcopali Argentinensi ex Laurentio Surio, Henschenio, Kœnigshovio, cæteris compilata [1] minima de parte narrationi tribuitur quum preces peregrinatorum officiaque Sancti maximam voluminis partem teneant.

Recentiorum temporum scriptores ecclesiasticos, qui seu historias ordinum monasteriorumque universas, seu etiam loci cujusdam sacri, ubi confluunt peregrini scripserunt, complures invenimus, inter quos primo loco fratris Berardi Mulleri, Brisiacensis, ordinis S. Francisci (illa in urbe decimo octobris die anno 1704 denati), mentionem faciemus, qui anno 1703 chronicam « de ortu et progressu almæ provinciæ Argentinensis quæ per Germaniam superiorem sacra est beatæ Elisabethæ, Fratrum Minorum S. P. Francisci conventualium » conscripsit, non quæ publice evulgaretur sed in bibliothecis omnium provinciæ conventuum ad erudiendos fratres deponeretur [2]. Operis exemplar inter cimelia bibliothecæ Universitatis Herbipolitanæ asservatum sæpe a recentissimo hujus provinciæ Minoritarum historiographo citatur [2].

Aliud non dissimile manuscriptum in bibliotheca Argentinensis Universitatis reperimus, « *Enchiridion*, seu *Manuale topologico-historicum* ex monumentis provinciæ Alsaticæ F. F. Minorum S. Francisci Capucinorum, huc usque latentibus et quasi sepultis decerptum ac in præsentem methodum brevi stylo combinatum aera salutis 1748 [4] », ubi in prologo « de origine tum remotiore, tum propiore provinciæ F. F. Capucinorum Alsaticæ » disseritur et fundatio monasteriorum Ensisheimiani, Thannensis, Haganoensis, Oberehnheimiani, Sulzensis, Argentinensis, Selestadiani, Molshei-

[1] *Histoire de la vie et du culte de saint Florent, évêque de Strasbourg.* Strasb., Levrault, 1772, 376 p. in-16.

[2] Ut ex Malachiæ Tschamseri Annalibus (de quibus infra) comperimus, ubi ad annum 1630 folium 331 Mullerianæ narrationis citatur.

[3] P. Konrad Eubel, *Geschichte der Oberdeutschen (Strassburger) Minoritenprovinz*, Würzburg, Bucher, 1886, 8°, pag. IV et passim in notulis.

[4] L. Als. 60, 41 folia in-4°.

miani, Colmariensis, cæterorum breviter et sermone non bene polito ab anonymo auctore narratur[1].

Idemne sit opus quod sub titulo « *Commentariorum provinciæ Alsaticæ Fratrum Capucinorum ad annum 1748 usque* » in bibliotheca Schœpfliniana servatum erat et fratri Petro Fructuoso, capucino Selestadiensi assignabatur nescio; de quo Timotheus Guillelmus Rœhrich perpauca extraxit antequam codex incendio bibliothecarum Argentinensium deletus est[2]. Aliud ejusdem generis sane quidem scriptum erat *Catalogus monasteriorum sub regula S. Benedicti in Alsatia* anno 1748 compilatus, quem Carolus Hænel in eadem bibliotheca notaverat[3].

Uberiore vero notitia hoc in capite dignus est, si non eruditionis causa attamen propter operum copiam Josephus Schweighæuser, Haganoensis, notarius apostolicus simul et auctor de rebus Alsatiæ ecclesiasticis indefessus, qui Argentorati anno 1773 e vita migravit. Scripta ejus, præter opusculum de ecclesia cathedrali Argentinensi[4], vel latino vel gallico vel germanico sermone composita non prelo subjecta sunt sed partim varia eorum exemplaria conservantur. In Caroli Hænelii *Catalogo manuscriptorum* enumerantur hæc, quæ ei ante oculos in bibliotheca Argentinensi fuerunt (*Episcopatus Argentinensis, sive compendium chronologicum episcoporum Argentinensium*, 1768. — *Episcopatus Argentinensis origo, excellentia, etc.* 1771. — *Inbegriff der Geschichte des Elsasses, des Bissthumbs, etc.*) aliunde nobis non cognita[5]. Col-

[1] Maximam opusculi partem in *Trifolium seraphicum* suum Josephus Schweighæuser, de quo paulo post mentionem faciemus, recepit.

[2] Cfr. Timotheum Rœhrich, *Mittheilungen*, II, p. 220. Fragmenta exstant in collectaneis manuscripti Rœhrichiani (n° 733 Mss. Bibliothecæ civitatis Argentinensis novæ). De quo R. P. Fructuoso, Selestadiensi, vide etiam D. Nicolaum Paulum, *Zur Geschichte der Kapuziner im Elsass*, in periodico *Ecclesiasticum Argentinense*, 1889.

[3] Catalogus manuscriptorum, p. 462.

[4] *Description nouvelle de la Cathédrale et de sa fameuse tour*, quæ sæpius edita est. Quæ nobis in manibus est editio quarta, Argentorati, anno 1780 impressa est.

[5] Hænel, Catalogus, p. 461, 465, 470, 471. Vide etiam Strobel, *Geschichte des Elsasses*, V, p. 220-221.

mariæ in collectione Ignatii Chauffour exstat opusculum « *Précis de la province d'Alsace, de l'érection des deux landgraviats, de l'évêché de Strasbourg, de la fondation de l'Église cathédrale, etc. l'année 1772*[1]. » Et monographiæ Josephi nostri duæ adsunt, quarum altera *Trifolium seraphicum in Alsatia florens seu Manuale topo-logico-historicum* inscribitur[2], et anno 1767 descripta est, altera *Commendæ ordinis presbyterorum Sancti Johannis Baptistæ Hierosolymitani notitiam* præbet « ex libris publicis, veteribusque monumentis » anno 1769 « magno labore excerptam ». Primo opusculo fundatio monasteriorum fratrum minorum Sancti Patris Francisci conventualium, Recollectorum et Capucinorum e fontibus supradictis Alsatiæ provinciæ describitur ; secundo vero historia commendæ Hierosolymitanæ Argentinensis ad viridem Insulam fusius enarratur, dignitas atque merita ejus, privilegia et prærogativæ enumerantur, persecutionesque quas ab anno 1529 ad annum 1681 ab hæreticis passa est statumque commendæ valde meliorem ad annum 1771 usque pio ardore auctor exposuit. Et Argentorati[3] et Colmariæ[4] servantur hujus notitiæ codices, Argentoratense autem exemplar multo locupletiorem catalogum tutorum et gubernatorum domus ad viridem Insulam sitæ[5] usque ad annum 1699 habet eidemque documenta varia de annis 1685-1751 adjuncta sunt. Quæ Schweighæuseri opuscula, etsi non permagni pretii ad historiam Alsatiæ universalem habenda sunt, tamen lectione digna sunt et qui hodierno tempore in publicum ea traderet, laborem non inutilem aggressus esset.

Ejusdem cœnobii et commendæ ad viridem Insulam historiam germanico idiomate conscriptam a fratre Francisco Josepho Gœtzmann accepimus anno 1745 ad finem perductam, quæ etiam

[1] Waltz, *Catalogue Chauffour*, p. 8.

[2] Codex anno circiter 1840 ex originali descriptus, servatur in nova bibliotheca civitatis Argentinensis (Mss. nº 704), 226 paginarum in-folio.

[3] Codex Colmariensis 92 foliorum in-4º describitur apud Waltzium, *Catalogue Chauffour*, p. 62.

[4] Argentinensis codex in bibliotheca Universitatis (L. Als. 273) servatur et 308 paginas in-4º numerat.

[5] « *Zum Grünen Wœrth* », in eodem loco ubi nunc latrones et nebulones vinculis Argentorati custodiuntur.

in bibliotheca Universitatis Argentoratensis asservatur[1]. Gœtzmannii opus maxima de parte translatio vel adaptatio est duorum memorialium antiquorum in quibus de Johanne Taulero celeberrimo ordinis Prædicatorum oratore, de Rulmanno Merswin, pio Argentinensi nummulario atque tractatuum mysticorum scriptore, de magno sui et Dei Amico in pago Rheni superiore, etc. narratio accuratior data est[2]. Quum ea vero adhuc ipsa in Alsatiæ inferioris archivo exstent, minoris pretii Gœtzmanni compilationem habemus.

Multo dignior cui animos intendamus chronica Argentinensis ecclesiastica est, relatio monialium Sanctæ Margarethæ, quæ ad annum usque 1738, seu a sororibus ipsis, seu a quibusdam clericis qui monasterio ut directores vel confessores aggregati erant conscripta, historiam cœnobii a temporibus fundationis sæculo tertio decimo post Ch. natum ad recentiora tempora tradit[3]. Quæ præsertim de rebus ecclesiasticis sæculo sexto decimo Argentorati gestis multa summi momenti præbet, quum moniales hujus monasterii fere solæ hac in civitate reformationi obstiterunt et adversus reipublicæ magistratum libertatem fidei strenue vindicaverunt. Itaque, ut ex notationibus Johannæ de Jussie, sororis Genevensis eruditis bene notæ Calviniana reformatio, sic ex chronico nostro Buceri reformatio Argentinensis adversariorum testimonio elucidari vel etiam reprehendi potest, etsi ad eas castigandas prudenti consilio uti opus est, quia multa quæ certe non eo tempore scripta sunt et quæ legendæ magis quam historiæ tribuenda sunt

[1] *Abschrift und Ubersetzung dess sich bey der custorey befindlichen in altteutsch beschriebenen Memorial oder Verkundbuchs den ursprung, anfang und ubergebung des closters zum Grünen Werde zu Strassburg... bis auff das Jahr 1727... beschrieben von frater F. J. Ignatium Gœtzmann, custoden diesses hausses, vollendet in der woch vor Allerheiligen 1745.* (Bibl. Universitatis, L. Als. 93. 399 pag. in-folio.)

[2] De quibus vide viri amicissimi, nuper defuncti, Augusti Jundt, opera : *Les Amis de Dieu au XIV^e^ siècle* (Paris, 1879) et *Rulmann Merswin et l'Ami de Dieu de l'Oberland* (Paris, 1890).

[3] *Chronic über das berühmte Gotteshaus Sanct-Margarethen und Sanct-Agnes, Prediger-Ordens zu Strassburg, 1738.*» Codex 310 pag. max. in-folio in Bibliotheca nova Civitatis (Mscr. n° 728).

codice nostro continentur; cujus textus adhuc ineditus et breviore tantum paraphrasi gallica, publici juris factus[1], editione critica sine dubio dignus est.

Quod si jam ad monographias varias de cœnobiis provinciæ transiverimus, inter monasteria Alsatiæ inferioris *Historiam S. Odiliæ* Rev. Patris Hugonis Peltre, ordinis Præmonstratensis canonici et monasterii Hohenburgici præpositi, ordinem temporum si sequemur, primam hic evocabimus[2], quæ non solum S. Odiliæ vitam duodecim capitulis amplectitur, sed etiam historiam monasterii ab Alsatiæ patrona fundati sequentibus octo capitulis, usque ad reædificationem et dedicationem anni 1696 satis eleganti sed interdum hyperbolico stylo denarrat[3]. Historicis autem pæne nulli adjumento erit quum maxime ad revocandam incolarum provinciæ pietatem scripta videatur et precibus et litaniis numerosis onusta sit[4]. Certe quidem postponenda est *Historiæ montis Hohenburg nuncupati seu Montis Sanctæ Odiliæ* a R. P. Dionysio Albrecht, canonico Præmonstratensi et conventus illius tunc temporis priore conscriptæ et in partes quatuor distributæ[5]. Honestus ille monachus Schlackenwaldiæ in regno Bohemiæ ortus, inde ab anno 1737 monasterio Hohenburgico præpositus ampla farragine quæ vel ex antiquioribus vel ex recentibus auctoribus colligere potuit de Alsatia, de monte Vosago, de familia Etichonidum, de vita variisque S. Odiliæ legendis, de historia monasterii per medii aevi sæcula[6], de ædificiis ipsis, vastationibus, incendiis, etc.

[1] *Histoire des religieuses dominicaines de Sainte-Marguerite par Théod. de Bussière*, Strasb., Le Roux, 1860, in-18.

[2] *La vie de sainte Odile vierge, première abbesse du monastère de Hohenbourg... par le P. Hugues Peltre, prestre.* Strasbourg, Storck, 1699, in-12. Editio secunda anno 1719 prodiit.

[3] Et R. P. Dionysius Albrecht antecessorem, hac de causa, discrete tamen, irridet (Albrecht, p. 129).

[4] Et germanica versione Peltrii opusculum editum est, *Das Leben der heiligen Jungfrawen Odiliæ, etc.* Strassburg, Storck, 1701, in-18.

[5] *History von Hohenburg oder S. Odilienberg in vier kleine Theil verfasst... von P. Dionysio Albrecht, etc. Schlettstadt, gedruckt im Jahr 1751. Zu finden bey J. J. Langbacher in Strassburg*, 4°.

[6] Dionysius noster si non primus omnium, inter primos certe fuit qui de abbatissa Hohenburgensi, Herrade a Landsberg, et de opere ejus spectabili, *Horto Deliciarum* uberiora verba fecerit (Albrecht, p. 282-292).

consarcinavit. Qui etsi mentem criticam antiquiorum temporum investigationi non advertit, ad sæculorum XV-XVIII historiam quam dicimus localem melius cognoscendam nonnullam non despiciendam materiam affert.

Et hoc loco quam brevissime mentionem facere liceat *Historiæ Mediani in monte Vosago monasterii* a R. P. Humberto Belhomme descriptæ, quæ etsi ad lotharingicam historiographiam optimo jure pertinet, tenui tamen parte S. Odiliæ vitam attingit quum et S. Hidulfus, cœnobii illius fundator, S. Odiliam baptizaverit et abbates Mediani Monasterii nonnullas in Alsatia possessiones et inde ab anno 1316 Argentorati curiam habuerint. Opus ipsum ordine S. Benedicti dignum, Argentinensi in urbe typis vulgatum est[1].

Annales Carthusiæ Molshemianæ adhuc ineditos conscripsit R. P. Petrus Horst, Trevirensis, qui anno 1662 natus, in Carthusiorum ordinem 1680 intravit et per triginta annos ejusdem procurator fuit. Paulo postquam Molshemiæ prior designatus est, quarto februarii die anno 1716, ad vitam superiorem migravit. Fragmenta quædam operis a Reverendo Patre A. M. P. Ingoldio excerpta et in lucem edita sunt[2].

Ephemerides Altorfiani monasterii, ordinis S. Benedicti, prope Molshemiam siti. compilatæ sunt a R. P. Amando Trensz, cœnobii ab anno 1739 priore, qui et presbyter vici fuit; scriptæ sunt circiter anno 1744, si successori Trenszii M. Sattlero credas[3], anno vero 1748, si Aloysio Schulte potius fidem tribuere velis[4]. Codex ejus in quo præcipua facta de monasterii fatis ad annum 1617 usque relata sunt in archivo Alsatiæ inferioris servatur[5] et quum ex chartis et diplomatibus tum ex illo manuscripto nunc deper-

[1] *Antiquitates montis Vogesi et præsertim Mediani in eo monasterii, etc.* Argentorati, J. R. Dulssecker, 1733, 467 pag. 4°.

[2] *Les Chartreux d'Alsace*, in periodico *Revue catholique d'Alsace*, 1894, passim.

[3] *Kurze Geschichte der Benediktiner Abtei von Altorf*, von M. Sattler, Strassburg, Bauer, 1887, 280 p. 8°.

[4] *Mittheilungen des Instituts für œstreichische Geschichte.* Innsbruck, Wagner, 1883, pag. 209.

[5] Sub littera H. 4 asservatur.

dito compilatus est, de quo supra jam verba fecimus[1], et quod circa annum 1200 conscriptum singulari *Anatologii* nomine designat auctor noster.

His et adnumeranda est historica descriptio peregrinationis sacræ ad ecclesiam Beatæ Virginis Mariæ in valle prope Haganoam extructam anonyma, sed in Collegio Societatis Jesu Haganoensi in usum plebeculæ cum precibus ac litaniis conscripta et maxima de parte ex Johannis Georgii Schenkii a Grafenberg, archiatris Haganoensis opusculo excerpta, quod anno 1608 prima, anno vero 1615 secunda vice prelo mandatum est, nobis autem de visu non est notum. In partes divisa est tres historia nostra, quarum una ecclesiam anno 1240 fundatam ejusque fata ad annum 1556 enarrat, altera relationem ad annum 1749 continuat, tertia vero orationes et preces fidelium continet[2].

Sed — ut jam ejusmodi elucubrationes omittamus, — *Catalogus abbatum monasterii S. Martini* in Maursmunster opus est summa diligentia et eruditione non mediocri conscriptum, a D. Placido Schweighæuser, Haganoensi, qui ab anno 1742 monasterii rector et illius quem supra diximus Josephi coaevi fortasse affinis fuit, compilatum. Codex trecentarum quinquaginta quatuor paginarum in-folio, annis circiter 1760-1770 inceptus quibusdamque graphidibus ornatus, exstat in bibliotheca Universitatis Argentoratensis[3] et narrationem Maurimonasteriensem ab anno fundationis (557 p. Ch. n.) ad mortem Edmundi Herbii abbatis (1742) deducit. Nonnulla in recentiore cœnobii historia desunt[4]. Hinc et illinc additæ sunt notæ papyreis parcellis inscriptæ quæ manuscripti foliis agglutinatæ sunt et ad Schœpflini *Alsatiam illustratam*

[1] De *Thanatologia* vide supra pag. 11.

[2] *Marien-Thaler Wallfahrt und Bett-Buch, worinn enthalten eine Beschreibunge von dem Anfang, Auffnahm und gegenwærtigen Stand der berühmten Wallfahrt zu Marienthal, etc.* Strassburg, Kürssner, 1749, 340 pag. in-18°.

[3] L. Als. 16. In dorso legitur : Catalogus in Maurimonasterio O. S. B. prope Tabernas Alsaticas, inchoatus anno domini 1745.

[4] Ad annum 1720, exempli gratia, 1723-1728, 1730-34.

spectant. Quem *Catalogum* etiam dignum habemus qui in supplementis *Ecclesiastici Argentinensis* publicetur.

Abbatiæ quoque Neocastrensis, Cisterciensis ordinis, prope Haganoam sitæ historiam composuit R. P. Marcellus Moreau anno 1775, quam ex excerptis novimus gallice a Ludovico Vautrey doctissimo Bruntrutensi presbytero editis.[1] Delemontii in episcopatus Basileensis dominiis natus est auctor anno 1735 et absolutis in monasterio Lucellensi votis, Pfaffstattii parochus, tum in cœnobio Neocastrensi theologiæ professor fuit; anno vero 1791 ex Alsatiæ finibus migravit et in urbe patria, nescio quo anno, supremum diem obiit. Quod opus ad historiam provinciæ universam minoris certe momenti est quum cœnobium illud in rebus gestis atque gerendis non multum valuerit sed ex archivis monasterii religiose constructum esse videtur[2].

Ex Alsatiæ superioris regionibus hujusmodi monographiæ aut minus frequenter conscriptæ aut non servatæ sunt aut nobis in conspectum non venerunt. Celeberrimus Ordinis S. Benedicti eruditus, Dom. Augustinus Calmet, qui per triginta fere annos monasterio Senonensium in Lotharingiæ ducatu præfuit[3], quum in cœnobio Vallis S. Gregorii aliquamdiu subprior esset (1704-1705), ex jussu superiorum historiam hujus antiquissimi monasterii Munsteriani conscripsit, anno 1704, « ad promovendam historiam provinciæ universam, seu ecclesiasticam, seu civilem ». Ad quod delineandum opus usus est et antiquo chronico latino cujus fragmenta passim affert[4], et catalogo abbatum a Colduvino (anno 668 post Ch. n.) ad Samuelem (anno 1088), præterea ex cartulariis monasterii documenta nonnulla et privilegia regum et impe-

[1] Cfr. Vautrey, *L'abbaye de Neubourg en Alsace* (*Revue d'Alsace*, 1860, p. 42 ss.) et Trouillat et Vautrey, *Monuments de l'évêché de Bâle*, V, p. 139-140, 679.

[2] Epitome fastorum Neocastrensium seu brevis historia abbatiæ de Novo Castro, etc. a P. Marcello Moreau, 1775, 8°. — Ubi codex nunc depositus sit, nescimus.

[3] Anno 1672 in diœcesis Tullensis vico natus, in S. B. ordinem intravit anno 1688, Senonisque vicesimo quinto octobris die, anno 1757 denatus est.

[4] Exempli gratia p. 17, 19, etc. Ab anno primo post Ch. n. ad annum 1196.

ratorum decerpsit quæ originali idiomate allegat. Antiquissima cœnobii fata potius raptim enarrat et primos Argentinensis diœcesis rectores ex spissa legendarum caligine frustra in lucem trahere conatus est, promiscue narratoribus et bonis et mediocribus anteriorum temporum, Kœnigshovio et Wimphelingio, Hertzogio et Henschenio in testimonium productis. Posteriorum autem sæculorum historiam præsertim XVI et XVII e memorialibus conventus ipsis excerpsit notulisque ministrorum urbis Monasteriensis lutheranorum, in primis Pauli Leckdeigii illustravit[1]; quæ narratio in electione abbatis Dom. Ludovici de La Grange desinit (1681), qui fuit frater illius Jacobi de La Grange qui a Ludovico XIV provinciæ Alsaticæ præpositus est. Calmetii operis duo exstant exemplaria, unum a viro eruditissimo Xaverio Mossmann e codice Haganoensi nunc deperdito anno 1844 descriptum, quod nunc in bibliotheca Colmariensi servatur, alterum quod a diligenti editore scriptorum Domini Calmetii, Francisco Dinago, San-Deodatensi, ex bibliotheca hujus oppidi, a Calmetio, ut affirmat, ipso revisum nuper in lucem editum est[2].

Opusculum omnino a præcedentibus diversum sed novitate rerum jucundissimum, et quod non excerptatim solum sed integre et originali sermone conscriptum ii typis mandare deberent qui nobis translationem gallicam præbuerunt, est *Diarium Murbacense* ab anno 1671 ad annum 1746 a quodam celeberrimi cœnobii canonico, Francisco Antonio Conrado de Ferrette compilatum. Is Bruntruti octavo decimo junii die. anno 1680, a patre Francisco Josepho de Ferrette-Zillisheim, tribuno legionis Frohbergianæ, natus est. Anno jam 1691 noviciatum Murbaci inchoavit annoque 1697 professione fidei monasticæ sub vocabulo Domini Bernardi facta, per semisæculum seu in Murbacensi seu in Luderensi

[1] Pauli Leckdeigii *Annotationes de rebus in urbe Munster gestis*, anno 1599 descriptæ, quibus jam Schœpflinus usus est sane quidem in archivo parochiali lutheranorum Munsterii asservantur, sed id pro certo non habeo.

[2] *Histoire de l'abbaye de Munster, suivie de remarques sur les premiers évêques de Strasbourg, etc., textes inédits de Dom Calmet, annotés et publiés par F. Dinago.* Colmar, Lorber et Jung, 1882, XII, 255 p. 8°.

monasterio vixit, annis 1709-1727 subprior, tum principis abbatis a secretis intimis (1736), denique capituli præpositus ab anno 1742 ad finem vitæ, anno 1746. Quum adolescens jam ad litterarum studia sese contulisset catalogum bibliothecæ cœnobii componere jussus est et catalogi etiam abbatum Murbacensium in *Spicilegio ecclesiastico* Lunigii (V, p. 940) auctor fuit. Diarium vero, seu ut ipse ait, *Farrago Murbacensis*, anno solum 1740 a sexagenario compilari cœptum, in bibliotheca civitatis Colmariensis[1] etiam nunc exstat, codex sexcentarum octodecim paginarum in-folio, quarum dimidium narrationem ipsam continet cæteræ vero appendices sunt partis prioris. Ephemerides sunt, ubi res omnes per septuaginta quinque annos gestæ ordine dierum et mensium sepositæ sunt. Editores vero recentissimi materiam, quoad eam in lucem evexerunt non solum ordine chronologico seposuerunt, id quod nos quidem probamus, sed etiam latinum textum in gallicum conversum sæpe imminuerunt vel ea quæ eis minus apta esse videbantur omnino omiserunt, id quod minus approbandum esse videtur. Nihilominus et hac sub forma Domini Bernardi Phyretensis *Diarium* grato animo accepimus; nam etsi ad historiam provinciæ politicam perpauca nobis affert, ad historiam morum et ad illustrandam vitam in monasteriis alsaticis per sæcula XVII et XVIII actam relationes illæ quotidianæ canonici regularis et nobili genere orti pretiosissimo adjumento sunt[2].

Exstant aliquot ad monasteria Alsatiæ superioris pertinentes chronicæ nomine tantum nobis cognitæ. *Chronicon Oelenbergense* seu *Montis Oliveti* conscriptum fuit latino sermone circa annum 1757, auctorque anonymus ex archivis illius monasterii prope Reiningen in pago Mulhusino siti documenta nonnulla inseruerat[3]. Num hoc opus idem sit ac *Historia Oelenbergensis* a prima fundatione, anno 1045, ad annum 1765, quæ in prædicto cœnobio et hodie ser-

[1] Msscr. n° 556.

[2] Bernard de Ferrette, *Diarium de Murbach, 1671-1746, publié par Angel et Auguste Ingold*. Paris, Picard, 1894, 1 vol. 8°.

[3] J. Trouillat, *Monuments de l'évêché de Bâle*. Porrentruy, Michel, 1854, tom. II, pag. 20, 95.

vatur, teste Josepho Francisco Fues[1], nec affirmare nec negare possumus aliisque investigandum relinquatur. Eodem in Fuesii opere utilissimo chronici etiam manuscripti de monasterio S. Ulrici supra Largam mentio facta est[2], quod a parocho de rebus alsaticis bene merito, domino Zimberlin Fuesio ipsi olim traditum est, sane quidem eodem sæculo XVIII conscriptum; de cujus tamen sorte nihil aliud reperire nobis concessum est.

§ 25. De scriptoribus eruditis rerum Alsaticarum qui sæculo XVII fuerunt.

Octoginta fere annos Galliæ reges Alsatiæ jam fines tenebant et tertium jam lustrum Ludovicus Magnus in crypta S. Dionysii conditus erat quum prima gallico sermone conscripta narratio de antiquioribus provinciæ temporibus edita est, et jussu superiorum reverendus pater e societate Jesu historiam alsaticam quæ hoc titulo digna dici potest descripsit. Priores enim seu historiam episcopatus Argentinensis seu historiam modo urbis exposuerant, quod et Alsatia ipsa nec unius domini erat nec unquam fuerat; postquam tota regio inter Vosagum montem Rhenumque fluvium imperii franco-gallici pars facta est, aliquantum temporis intercessit priusquam provinciæ novæ fata anteriora ab extraneis studio digna putarentur et ager omni cultura vacans, ut gallici dicebant historici, aratro summitteretur[3]. Felicissimo casu is labor erudito viro impositus est qui, etsi lingua tunc per provinciam universam usitata uti non poterat et locis alienus erat, opus tamen scripsit pro tempore optimum et quocum nullum aliud fere per totum illud et proximum sæculum conferri posse omnes testantur[4].

Auctor hujus *Historiæ alsaticæ* cui semper honos primum

[1] *Die Pfarrgemeinden des Cantons Hirsingen.* Rixheim, Sutter, 1879, 8°, p. 123.

[2] Fuess, *op. cit*, p. 200.

[3] Ipsa sunt La Guillii verba in dedicatione ad Regem.

[4] Cfr. Carolum Hegel, *Stædtechroniken*, I, p. 74.

provinciæ totius res gestas vernaculo sermone exposuisse remanebit, Ludovicus fuit La Guille, Augustodunensis ; natus primo octobris die 1658, anno 1675 in societatem Jesu intravit et a superioribus, postquam rectoratum collegii Lingonensis, tum Metensis, per annos 1705-1712 gessit, mense decembri 1712 rector Universitatis episcopalis Argentinensis creatus est ubi ad annum 1716 permansit et quum provinciæ Campaniæ pater provincialis factus esset (1716-1718) secunda vice ad rectoratum universitatis per quinquennium vocatus est (1719-1725). Tunc ex Alsatiæ finibus profectus identidem ad officium provincialis accessit variisque postea provinciæ collegiis præpositus, Mussipontum denique veteranus ille plus quam octogenarius secessit ibique supremum invenit diem, decimo octavo die aprilis 1743[1].

Jam quum prima vice Argentorati degebat mandatum ei datum esse historiæ conscribendæ suæ ex privilegio regali apparet, die decimo mensis septembris 1724 instructo, et per novem annos labori insudavit eo difficiliori quod, ut jam diximus, teutonicæ linguæ haud peritus erat. Nec tamen ab incepto deterritus est, auxilio sane quidem Argentinensium confratrum fretus et quoties ex provincia abibat alii ex archivis Argentoratensibus ei diplomata colligebant aut describebant. Plurimos per annos tum manuscripto aucto et correcto, privilegium narrationis edendæ mense februario 1727 bibliopolæ Argentinensi Dulsseckero concessit postquam ipse jam ex urbe evocatus est[2].

Rev. Patris Ludovici Laguillii (sic enim nomen ejus sæpius commemoratur) *Historia Alsatiæ a Julio Cæsare ad Ludovici XV matrimonium* etiam a non bene eruditis facillime legitur, stylo

[1] Cfr. O. Berger-Levrault, *Annales des professeurs*, p. 132.

[2] *Histoire de la province d'Alsace depuis Jules César jusqu'au mariage de Louis XV roy de France et de Navarre, avec des figures en taille douce, des plans, des cartes et un recueil de pièces qui peuvent servir de preuves aux faits importants, dédiée au Roy par le R. P. Louis Laguille de la Compagnie de Jésus.* Strasbourg, J. R. Doulssecker, 1727, T. I, XVI, 372 p.; T. II, 362 p.; T. III, 185 p. fol. — Eodem tempore ingeniosa innovatione editio commodior octo voluminibus in-12 in lucem producta est, quod, quum editio in-folio duabus columnis impressa esset, sine magna difficultate effici potuit. Hac in editione figuræ et mappæ desunt.

vivido gravique, sed non grandiloquenti, si dedicationem ad regem excipias, conscripta ; auctor noster, et legendas antiquas enarrans expositionem observationibus satis criticis ita ornat ut scientiæ saltem rationem etiam inter errores servare videatur. Libris I-IX operis ab originibus ad mortem Caroli Magni tempora, libris X-XX medii aevi tempora ad emancipationem urbis Argentorati ex episcoporum dominatione (1261), libris XXI-XXX ad concilium Basileense (1445) Alsatiæ fata tractantur. Tomo primo, qui libro XXXII ad annum 1501 finitur, materiam sive ex Kœnigshovio a Schiltero edito, ex Guillimanni, Wimphelingii, Coccii narrationibus, ex Alberto Argentinensi, e *Collectis Archivi* Jacobi Wenckeri, sive e documentis ineditis contulit, quam partem si cum antecessoribus eum comparaveris, bene digestam, et quanquam mendis lacunisque non libera est, omni tamen laude dignam esse judicabis[1]. Et pars operis secunda in libros sive potius capita triginta duo divisa, historiam a temporibus reformationis Ecclesiæ ad nuptias Ludovici regis cum Maria Lescinska (15 augusti 1725) deducit. Scriptor ipse in rebus enarrandis incitatus est affectibus quibus patrem tunc quemlibet Societatis in hæreticos imbutum esse necesse erat nec est quod miremur illum « insolentiam » sæpius et « impudentiam » adversariorum acerbis incusavisse verbis, quum et illi hoc tempore pontificiorum gesta doctrinasque simili urbanitate increparent[2]. Potius considerandum est quam locupletem documentorum messem ex archivis capituli Ecclesiæ cathedralis, Tabernensibus, Murbacensibus, cæteris, clericis omnibus adjuvantibus, nec non ex archivo civitatis Argentinensis, Francisco Josepho de Klinglin, prætore regio jubente, collegerit. Ad bellum tricenne scribendum narrationibus antecessorum præsertim usus est, *Mercurio Gallico*, Adlzreitteri *Annalibus boicis*, *Laurea Austriaca*

[1] Non est hic locus errores enumerare veniales, ut, exempli gratia, quum Henricum Saxoniæ ducem Henricum de Suevia vocat auctor (I, p. 132) etc.

[2] Delectat lectorem observare Laguillium interdum de concivibus alsaticis in genere scripsisse ut homo humanitate perpolitus hodie de hominibus feris scriberet : « *La condescendance que j'ay eue pour les Naturels du païs en entrant dans des détails peu capables d'intéresser les estrangers.* » (Tomi secundi præfatio.)

Julii Belli, *Germania sacra restaurata* nuntii Caroli Carafæ, etc. sed a temporibus pacis Westphalicæ negotiatæ liquet eum, præter Memorabilia jam prelo commissa, ex archivis etiam regiis secretis documenta accepisse, ut ex præfatione tomi secundi satis apparet[1]. Scripta sunt hæc capita de Ludovici XIV bellis negotiisque magistrali manu et tam eleganti sermone quam fervida oratione lectu dignissima, etsi errores non paucos et nimias laudes habent, et optimo jure de Laguillio Johannes Daniel Schœpflinus in præfatione *Alsatiæ illustratæ* ita judicat : « Vir gravis et doctus hoc opus difficile Germaniæ idiomatis morumque ignaro difficillimum fortiter constanterque suscepit et novennali non interrupto labore perduxit ad finem, laudandus profecto quod transiens modo hospes id præstitit primus quod plures ante ipsum moliti sunt Alsatæ, non reprehendendus quod in campo tam late patente partem quoque messis reliquerit aliis. [2] »

Severiore quidem judicio, non tamen injusto, Philippo Andreæ Grandidierio antecessoris opus in præfatione *Historiæ Alsaticæ* suæ æstimare placuit[3]; quod vero duobus ultimis sæculis idem narrationis spatium ac quindecim prioribus concesserit, id certe non vituperandum esse censemus, quum, ceteris posthabitis, coævos lectores nimia antiquarum rerum abundantia fastidire et in fugam vertere nollet[4].

Ludovici Laguillii *Historia* ex typis vix exsurgebat quum alius

[1] « *Mgr le Duc d'Orléans, régent du Royaume, informé de mon dessein, me permit de puiser dans les premières et les plus secrettes sources.* » Duci nempe Aurelianensi e prioribus quibusdam Societatis Jesu negotiationibus a se Parisiis gestis Laguillius notus erat, et persona ministris regiis quoque pergrata. De quibus confer opusculum meum « *Journal du voyage et du séjour que le P. Louis Laguille a fait à Paris pour l'affaire de Seltz, d'après un manuscrit de la Bibliothèque municipale de Strasbourg* » in periodico *Revue d'Alsace* 1896, p. 1-23.

[2] Alsatia illustrata, Colmariæ, 1751, in tomi primi præfatione, pag. I.

[3] « *Il n'a fait qu'effleurer une grande partie de son sujet et... même n'a pas souvent montré dans les faits ou les sentiments cette impartialité qui caractérise l'historien fidèle.* » (*Histoire de la province d'Alsace*, I, pag. V.)

[4] An codex quem Carolus Hænelius in *Catalogo manuscriptorum* suo (p. 473) eodem sub titulo ac doctissimi Jesuitæ historiam enumerat, in bibliotheca Argentinensi servatum et tribus quoque voluminibus distributum fortasse Laguillii autographum aut exemplar operis recentius descriptum fuerit, nescio.

jam Argentoratensis professor solida eruditione ornatus et reverendo patre longe superior provinciæ annales, alia vero methodo, conscribere sibi proposuit Alsatiæque fata ab antiquissimis ad sua tempora evolvere constituit, Johannes Daniel Schœpflinus omnium historicorum regionis nostræ facile notissimus, etiam eis qui nunquam ejus opera manu tenuerunt [1]. Schœpflinus noster die sexto septembris 1694 Sultzburgi, in marchionatu Bado-Durlacensi, e matre Colmariensi natus est. Pater ejus postea Richovillanum, in oppidum Alsatiæ superioris sese contulit. In illustri Gymnasio Durlacensi primum eruditus, anno 1707 studia academica Basileæ inivit et ab anno 1711 Argentorati Johanni Caspari Khunii, eloquentiæ professoris, amanuensis et præceptor domesticus annos egit octo. Paulo postquam dissertationem eruditam *de origine, fatis et successione regni Navarræ* historico-politicam defendit, Khunio emortuo, unanimo facultatis philosophicæ judicio ad cathedram eloquentiæ et historiæ, mense novembri 1720 vocatus est, vicesimum sextum vix agens annum et per semisæculum gloria decusque Argentoratensis Universitatis per Europam litteratam fuit. Variis honoribus ornatus, omnium fere Academiarum socius, regius consiliarius et Franciæ historiographus, jam anno 1739 usque ad mortis diem (septimo augusti, anno 1771 e vita decessit) indefesso labore materiam operis immensi acervavit quod in memoriam patriæ adoptivæ se exstructurum esse sperabat et de ejus ratione jam anno 1745 cum magno Franciæ cancellario, illustrissimo viro Henrico d'Aguessau agebat; qui, ipso Schœpflino teste, auctor fuit ut regis sub auspiciis opus inciperetur. De illo solum libro, non autem de cæteris doctissimi professoris ad Alsatiæ historiam non pertinentibus opusculis hoc loco loqui fas est [2]. Eruditus eruditos respiciens, formam quoque historiæ eruditam sus-

[1] De vita scriptisque Schœpflini disseruit vir doctissimus Christianus Pfister, in periodico *Annales de l'Est*, annorum 1887 (fasciculo I, II, III) et 1888 (fasciculo II), longeque optimam celeberrimi historiographi notitiam elaboravit.

[2] Collecta sunt in voluminibus : Commentationes historicæ et criticæ, Basileæ, 1741, in-4°. — Opera oratoria, etc. ed. Ring, Augusta Vindelicorum, 1769, 2 vol. in-4°. — Vindiciciæ typographiæ, Argentorati, 1760, in-4°. — Historia Zaringo-Badensis, Carolsruhæ, 1763-1766, 7 vol. in-4°.

cepit, forsitan quod teutonico sermone uti nollet, gallico vero idiomate eleganter scribere non posset, potius quam ob aliam graviorem causam. Cyclopædiam Alsatiæ historicam quasi universalem commilitonibus præbere constituerat, omnia data, facta, rerum et personarum eventus quadruplici quasi partitione inserens, ut *Alsatiam illustratam*, *Alsatiam diplomaticam*, *Alsatiam sacram*, *Alsatiam litteratam* successive antiquitatum patriarum amantibus offerret, iisque collectionem *Scriptorum rerum alsaticarum* appendicis loco adjiceret. Ad talem vero cyclopædiam instruendam et perficiendam sæculo ei opus fuisset et prima modo pars operis a Schœpflino ita maturata est ut ab ipso tota typis mandari potuerit[1]. *Alsatiam illustratam celticam*, *romanam*, *francicam* anno 1751 in lucem edidit, Ludovico XV « Alsatiæ Servatori, Galliarum Trajano » dicatam et plurimis figuris a peritissimo chalcographo Johanne Weis insculptis ornatam.

Alsatia illustrata re vera topographia historico-chronologica locorum inter Rhenum Vosagumque montem est, quinque periodis distincta, cui præmissus est conspectus terrarum alsaticarum geographicus quadraginta quatuor paragraphis distributus (p. 1-32). Prima periodus *Alsatiæ celticæ* historiam complectitur, qua auctor novam neque antea tam accurate scrutatam quæstionem centum et triginta novem paragraphis elucidare conatus, pauca tantum et plerumque vaga e tenebris temporum illorum antiquissimorum eripere potuit. *Alsatia romana* secundam periodum implet et non modo primi voluminis sed etiam totius operis pars est maxime admiranda ; nam per quingentas paginas variisque sub capitulis expositio provinciarum alsatico-romanarum, Germaniæ scilicet primæ Maximæque Sequanorum, geographica, historica, politica oblata est ; loca diversa, regiminis civilis et militaris formæ, mores, cultus, religio gentilis Ecclesiæque christianæ origines describuntur ; tum annales Alsatiæ romanæ congesti sunt et provinciæ

[1] Alsatia illustrata celtica, romana, francica, auctor J. D. Schœpflinus, Colmariæ ex typographia regis, sumptibus Friderici Schœpflini, 1751, 797 pag. in-folio. — Alsatia illustrata germanica, gallica, etc. Colmariæ, 1761, 748 pag. in-folio.

monumenta romana quæ tunc temporis supererant et quorum permulta Schœpflinus in proprio musæo collegerat, explicantur, corpus inscriptionum alsaticarum pretiosissimum quia monumentorum illorum pars non minima temporum inclementia et nefanda hominum barbarie pace belloque destructa sunt[1]. His in paragraphis sensus auctoris criticus, judicium moderatum, stylus materiæ adæquus, eruditio præclara majorem admirationem movebunt si eum cum iis qui antea eadem de materia scripserant, Guillimanno, Bebelio nec non Laguillio comparaveris.

Libro tertio *Alsatiæ francicæ* descriptio inauguratur, cujus sectio prima geographica dicitur, quod ducatus, comitatus et loca varia quæ eodem jam tempore fuerunt enumerat; sectio secunda, seu politica statum Alsatiæ civilem, quum Austrasiæ regibus, ducibus et comitibus ex stirpe Etichonidum subjecta erat ad finem Carolingorum, tertia vero mores, seu jura regni, linguam (juramenta Carolingorum regum Argentoratensia), ordalia, ædificia, monetasque amplectitur.

Volumen operis secundum decem post annos, 1761, etiam Colmariæ in lucem editum est et Alsatiam illustratam germanicam et gallicam continet. Liber quartus, *Alsatia germanica*, duas in sectiones divisus est, quarum in una, geographico-politica (p. 1-458), principatus regionis, comitatus, territoria nobilitatis immediatæ, civitates liberæ, monasteria, cætera minutiose enumerantur et simul eorum historia et status juridicus breviore vel fusiore paragrapho adumbratur. Secunda vero sectio, genealogico-historica, principum nobiliumque per Alsatiæ fines degentium virorum stirpem et familias exponit præcipuorumque fata stemmataque delineat. In ambabus libri sectionibus immensa pretiosissimarum notitiarum copia ad usum eruditorum congesta est; forma tamen priore libro inferior habendus est, ab antiquario potius quam ab

[1] Et Musæum Schœpflinianum, paucissimis lapidibus exceptis, incendio bibliothecarum Argentinensium anno 1870 deletum est, nihilque memoriam ejus servat nisi catalogus imperfectus quem Jeremias Jacobus Oberlinus sub titulo *Musœi Schœpflini* inchoavit, ad finem vero nunquam perduxit. (Argentorati, Jonas Lorenz, 1770-1773, 4°, cum figuris ære incisis.)

historico descriptus, quia forte materia peraspera ipsa solertissimum artificem vetuit res inter se arctius colligatas exponere.

Periodus *gallica* triginta vix paginis absoluta est quum nihil nisi catalogum gubernatorum et intendantium, ut barbaro vocabulo utar, continet summariasque notationes de aliquot familiis nobilibus quæ post annum 1648 in provinciam migraverunt. In hoc præsertim libro dissimilitudo Laguillii et Schœpflini maxima est et nostrum scriptorem profecto lector minus laudabit; nam Argentoratensis professor ne regem Galliæ, cujus historiographus erat neve S. Imperii romani principes, a quibus valde beneficiis ornatus erat, offenderet, narrationem ultimi sæculi fatorum alsaticorum paucissimis paragraphis tractavit et quam prudentissime potuit animi sententiam recondidit. Fortasse tamen et hæc rei interpretatio non absurda habenda est, illi viro præsertim antiquitatis studioso formas regiminis nuperrime introducti non satis dignas notatione visas esse, quæ cuique Alsatiæ incolæ de visu satis notæ essent. Latinus quoque sermo quo utebatur, hac in postrema operis parte ad materiam minus convenisse videtur nec sine lassitudine mentis quadam innumeros auctoris paragraphos devotissimus quisque sequetur[1].

Alsatiam diplomaticam et ipse typis mandari curavit, sed quum lento tantum gradu progrederetur, ne primum quidem volumen Schœpflinus absolutum vidit. « Sudabat liber sub prelo quum optimus senex animo et corpore vegetus, febricula correptus est » declarat fidus ejus discipulus et continuator Andreas Lamey in proœmio operis[2]. Insigne pro tempore monumentum est, ex quo ad hodiernum diem alimentum haurit historia provinciæ nostræ

[1] Nostris quidem temporibus Alsatia Schœpflini illustrata a Ludovico W. Ravenez gallico sermone translata et notis variis seu continuationibus ornata est (*L'Alsace illustrée par J. D. Schœpflin, traduction L. W. Ravenez.* Mulhouse, Perrin, 1850-1854, 5 vol. 8°), opus lectoribus minus eruditis utile sed nimium confuse notas et correctiones Schœpfliniano textui immiscens ita ut sæpius quid cuique tribuendum sit, lector nesciat.

[2] Alsatia aevi merovingici, carolingici, saxonici, salici, suevici diplomatica. Operis pars I. Mannhemii, ex typographia academica, 1772, 485 pag. in-folio, et indices.

erudita et ad quod erigendum per longæ vitæ spatium auctor indefessus ubique loculos archivorum omnes sollicite scrutatus est. Sedula cura omnia investiganti intendantium et episcoporum, capitulorum et ecclesiarum, urbium et monasteriorum valvæ sese aperiebant et, ut ipse ait, « desideriis respondit fortuna, spem et exspectationem longe superans..... res enim digna miratu, Alsatiam perpetuis bellorum flammis rapinis ac seditionibus turbatam, tam insignes rei diplomaticæ conservasse thesauros ». His auxiliis usque ad annum 660 aeræ christianæ ascendit Corpus Schœpflini diplomaticum, splendidis chartarum fac-similibus ornatum. Quæ vero jam correcta sub forma a Senckenbergio, Wenckero, Hergottio, Laguillio cæterisque edita fuere documenta, Schœpflinus in *Alsatia diplomatica* modo indicavit, non iterum typis expressit: itaque primo operis volumini, ad annum 1255, sexcenta octoginta novem diplomata inserta sunt. Secundum volumen anno 1775 tantum in lucem produxit fidus ejus Achates[1]. Et in hac operis parte multiplices chartas modo partim edidit aut nota reduci Luningii, Schilteri, Wenckeri, cæterorum editiones indicavit, quum veritatem ab hodiernis nimis neglectam enunciaret: « Peccare judicio mihi non minus videntur qui superiorum sæculorum scriptiones absque ullo delectu publicari volunt. Parum fortasse differt mole obruamur an laboremus penuria ». Codex Schœpflini diplomaticus re vera imperatoris Maximiliani I regno terminatur, nam etsi conventio gallico-moguntina de navigatione Rheni ad annum 1773 ultimum voluminis locum tenet omnia tamen ab anno 1500 documenta nonaginta paginis comprehensa sunt. Quanquam interdum in transcriptione nominum erraverunt Schœpflinus et ejus discipuli et interdum dies quibus adscribuntur diplomata falso indicantur et magna novorum documentorum moles postea reperta est, tamen, si æquo animo merita illius viri consideraverimus, *Alsatia diplomatica* eruditionis monumentum eo

[1] Alsatia periodi regum et imperatorum Habsburgicæ, Luzelburgicæ, Austriacæ tandemque gallicæ diplomatica. Operis pars altera, ed. Andreas Lamey, Mannhemii, ex typographia electorali et aulica, 1775, VII, 530 pag. in-folio.

magis admirandum manebit quod tunc temporis nullas scholas nec seminaria eruditi habebant in quibus diplomaticæ artis lineamenta adolescentes docerentur.

De *Alsatia sacra* notulæ modo fragmentariæ cum Schœpflini schedis in bibliotheca civitatis Argentinensis servabantur, quæ incendio anni 1870 conflagraverunt, una cum *Alsatiæ litteratæ* fragmentis; quæ tamen a Schœpflino, ipso adhuc vivente, in manus Jeremiæ Jacobi Oberlini tradita et post ejus mortem a discipulo ex patriis tabulariis insignem in modum aucta esse Oberlinus ipse affirmat[1]. Cui etiam fragmenta illa materiam ad varias dissertationes academicas præbuerunt[2], et recentioribus temporibus a Ludovico Schneegans excerpta, ultimæ operis reliquiæ, licet paucissimæ, in nova bibliotheca civitatis sunt[3].

Tristissimam vero sortem habuerunt *Alsaticarum rerum scriptores* quos Schœpflinus ipse in præfatione *Alsatiæ diplomaticæ* jam paratos esse ad prelum affirmabat, imo vero jam Friburgi Brisgoviorum typis mandatos fuisse amico cuidam nunciabat[4]. Quindecim annis postea, id quod in primo opusculi nostri capitulo jam diximus, Guillelmus Christophorus Kochius, Schœpflini quondam amanuensis et Schœpflinianæ bibliothecæ post ejus mortem director, iterum *Scriptores Alsatiæ* ex schedis J. D. Schœpflini publice adnunciavit[5], sed aut magna mutatione franco-gallica opus interruptum est aut nunquam inceptum et codices manuscripti Schœpflini et ipsius Kochii deperditi sunt, id quod profecto mirum videtur, quum Kochius ad annum 1813 vixerit. Maximam tamen chronicarum partem ex quibus formandum erat Kochii Corpus scriptorum alsaticorum nostris diebus ex aliis codicibus in

[1] Oberlinus, *Museum Schœpflini*, p. IV.

[2] De quibus vide Ch. Pfisteri dissertationem in *Annales de l'Est*, p. 1888, p. 196-199. Quæ vero pars Schœpflino, quæ Oberlino in his disquisitionibus de poetis alsaticis medii aevi, de Geilero, etc. tribuenda sit, difficillime demonstrari potest.

[3] Per hæc Schneegansii excerpta mihi nuperrime felicii quodam casu contigit e Schœpflini textu viro doctissimo Richardo Fester, Monacensi, bibliothecam Basileensem indicare ubi Chronicon Remboldi Slecht reperire et in lucem edere potuit.

[4] Epistola Schœpflini ad Bodmerum Turicensem, 18. augusti 1770.

[5] Apud J. G. Treuttelium Argentoratensem, duobus voluminibus in-8°.

lucem productam esse, consolationi nobis fuit non mediocri [1]. Quam vero difficile sit fabulas ex optimis ingeniis evellere docet exemplum doctissimi viri Augusti Potthast, qui in *Bibliotheca historica medii aevi* (Berolini, 1862) Schœpflini *Scriptores rerum alsaticarum* Argentorati, anno 1768 excusos esse indicat [2].

Schœpflino maximas igitur gratias agere debemus, quod magna ingenii contentione antiquorum temporum faciem nec non recentiorum Alsatiæ unica vastaque pictura delineare tentavit, etsi partim morte, non præmatura quidem, quominus opus perficeret impeditus est : etsi enim in voluminibus ab eo editis lacunas sæpe et mendas quidem nonnullas sparsim invenimus, « provinciæ nostræ decus reique diplomaticæ in oris nostris facile pater... pergrande exegit ille opus quod poterit nec humanus livor nec edax abolere vetustas, cujusque nomen apud nostrates exterosque litterarum bonique amantes erit indelebile. [3] » Sed si non eruditio auctoris sola respicienda, sed artem etiam narratoris historicis in scriptis admodum requirimus, confiteri debemus Laguillii opus, etsi minus eruditum, meritis suis ad exemplar historiæ provincialis propius pervenisse, Schœpflinum autem thesaurum potius antiquitatum et quasi fontem præbuisse ex quo jam per sæculum totum et fere dimidium sæculi epigonis haurire licuit, sed eorum neutrum hodiernis scriptoribus ad imitandum proponendum esse, quum illi passim eruditio nec non æquanimitas, huic vero ingenuitas interdum animi sensusque vitæ in describendis hominibus et rebus desint, artemque narrandi vix attingere conatus sit.

Quo tempore Schœpflinus laudibus celebratus et a Gœthio adoles-

[1] Gothofredi notarii Argentinensis Gesta Rudolphi. — Mathiæ de Nuwenburg Chronicon. — Mathiæ de Nuwenburg Vita Bertholdi. — Colmariensium Dominicanorum Annales. — Excerpta ex Kœnigshovii Chronica latina. — Varia chronica minora XIII-XV sæculi anonyma. — Remboldi Slechtii Annales. — Petri Carmelitæ historia de bello Argentinensium anni 1262. — Leges municipales Argentinensis civitatis antiquissimæ. — Trutmann, Brevis historia tumultus rusticani in Alsatia.

[2] P. 98. Addit quidem, dubium esse num editio illa lucem viderit quum et Bougine aut potius Carolus Josephus Bouginé in *Historia litterarum* sua, sed loco Basileæ editam ejus mentionem faciat.

[3] Grandidier, *Hist. de la province d'Alsace*, tom. I, pièces justificatives, p. III.

cente immortalibus adnumeratus[1], fatis concessit, tertius sacra sciendi fame compulsus adhuc prætextatus viam ad historiam Alsatiæ scribendam ingressus est ut propius ad metam accederet. Philippus Andreas Grandidier vicesimo nono die novembris anni 1752 Argentorati, sed ex stirpe lotharingica natus, quum decimum quartum vix explevisset annum, tonsuram accepit; tam mira autem ingenii præcocitate eminebat ut princeps Ludovicus Constantius Rohanius cardinalis et episcopus Argentinensis adolescentulum paulo post in archivo episcopali Tabernensi qui summa confusione tabescebat locaret atque adolescenti qui decimum nonum annum nondum compleverat ejus curam committeret (1771). Qui ubi archivi inventarium confecit quod adhuc in Archivo Alsatiæ inferioris servatur a serenissimo protectore jussus est ex his materiis historiam episcopatus Argentoratensis Wimphelingio et Guillimanno accuratiorem nec non uberiorem describere, in qua omnia illa a se denuo restituta documenta quæ et post Schœpflinum inedita latebant, in lucem proferre posset. Labore tam indefesso arduo illi muneri incubuit ut jam mense augusto 1775 primi tomi manuscriptum censori parisiensi submitteret, quod, nescio qua de causa, anno 1777 tantum in lucem editum est[2], tomusque secundus anno proximo typis vulgatus est[3]. Tertius quoque jam delineatus (octo tomorum totum opus fore putabat auctor), «jam, ut ipsius Philippi nostri verbis utar, sudabat prelum quum nascituram prolem extinxit anno 1779 prædicti præsulis tumulus[4]». Non est minimum novi episcopi, cardinalis Ludovici Rohanii principis, hebetis ingenii argumentum quod tam insigne opus ad gloriam sedis stirpisque suæ a fideli doctoque familiæ assecla conscriptum homo iste vanus et libidinosus, cui historici cognomen

[1] Vide Gœthii Memorabilia, *Wahrheit und Dichtung*, liber X, in ed. *Operum*, 1860, tom. IV, p. 153.

[2] *Histoire de l'Eglise et des évêques-princes de Strasbourg depuis la fondation de l'Evêché jusqu'à nos jours, par M. l'abbé Grandidier.* Strasbourg, François Levrault, 1777, VI, 441, LXXXII pag. 4°.

[3] *Histoire de l'Eglise et des évêques-princes de Strasbourg, etc.* Strasbourg, Levrault, 1778, XIII, 341, CCCXXXII pag. 4°.

[4] *Histoire de la province d'Alsace*, tom. I, pièces justificatives, p. IV.

Cardinalem Torquatum inflixerunt, exigua subventione diutius sustentare noluit, sive quod nummis ad vitam minime cum canonibus Ecclesiæ consentientem ei opus erat, seu — id quod in tam pio christianorum præceptorum discipulo eo magis risum movet — quia auctor multas priscorum temporum legendas monasteriorumque pias fraudes fictaque documenta viriliter in dubium vocabat et veritatis amore compulsus repudiabat. Ab illo tempore « ea monacali invidia a nonnullis vexabatur, ut ait ipse, quæ eo periculosior est quo occultius exercetur. [1] »

Unicuique voluminum *Historiæ episcopatus Argentinensis* codex diplomaticus adjunctus est et dissertationes de quæstionibus controversis excursusque additi sunt, multis et pretiosis documentis quæ ad antiquissimam provinciæ historiam pertinebant ex archivorum pulvere erutis. Critico ubique ingenio puroque scientiæ ardore incensus ad controversiam factorum adiit et profecto ex omnibus clericis qui de rebus alsaticis scripserunt nemo eum æquitate vel integritate judiciorum superavit. Nec tamen in opere suo desunt errores et mendæ ; interdum nimia festinatione narrationem contexuit et quadam sermonis redundantia extendit, quod vitium in juvenum scriptis non minus quam apud seniores invenimus, atque oratoriis ornamentis (judicio quidem nostro) plus quam satis erat, res enarratas induit. Quæ tamen exigua tibi vitia videbuntur, si consideraveris quantum opus ab adolescente tam brevi temporis spatio confectum sit.

Quum Grandidierio subsidia necessaria ad historiam episcoporum porro tractandam omnino denegata essent, ad minora sese studia contulit et notitias historico-topographicas de Ecclesia cathedrali Argentinensi anno 1782 in lucem edidit[2], quarum causa iterum a præbendariis Ecclesiæ, collegis suis, tam invidiose insimulatus est ut hoc quoque opus interruptum reliquerit[3] et mœrore tædioque

[1] Grandidier, *Oeuvres inédites*, tom. IV, p. 349.

[2] *Essais historiques et topographiques sur l'Eglise cathédrale de Strasbourg* par M. l'abbé Grandidier, Strasbourg, Levrault, 1782, 436 p. in-18.

[3] Supplementum ex auctoris reliquiis addidit Josephus Liblin (Parisiis et Argentorati, Berger-Levrault, 1868, in-18), 127 paginarum.

vitæ correptus, ab illo die amicis unice bonisque litteris se victurum esse juraret. Scientiæ vero cupido solique natalis amor penitus ei insitus, postquam Ludovici XVI jussu Schœpflino historiographus in Alsatia regius successit, quum episcopatus historiam continuare ei non liceret, historiam provinciæ universam describere constituit. Materiam, ut prima sæcula enarraret in manibus quasi paratam habebat, quum ex mirabili Schœpflini thesauro res celticas et romanas, ex proprio vero fundo ecclesiasticas origines desumere posset. Itaque, anno 1787, *Historiæ ecclesiasticæ, militaris, civilis et litterariæ provinciæ Alsaticæ* tomum primum in lucem produxit [1] et paulo post voluminis quoque secundi (non plura excusa sunt) codicem diplomaticum prelo subjici curavit [2]. In discursu præliminario rationem operis totam exponit (p. X-XIV); non solum Alsatiæ ipsius universam et peculiarem sed etiam vicinarum regionum historiam et politicam et ecclesiasticam amplectebatur et si eodem gradu ac in tomo primo (qui ad Hlodovici modo tempora pervenit) progressus esset viginti saltem voluminibus opus fuisset ad Alsatiæ fata ad sua usque tempora enarranda.

Inchoatum opus novum perficere et ad exitum felicem se deducturum esse sperabat, sed quum in monasterio Lucellensi archivi documenta exploraret tricesimum quintum vix annum agens deploranda morte absumptus est. Tot laboribus et inimicitiis debilitatus, juvenis adhuc, eximius canonicus noster undecimo octobris die anni 1787 patriæ et litteris ademptus est, irruentesque proximorum annorum perturbationes politicæ prohibuerunt quominus ab alio provinciæ historia continuaretur [3].

[1] *Histoire ecclésiastique, militaire, civile et littéraire de la province d'Alsace.* Strasbourg, Lorenz et Schouler, 1787, 336, CCLXXXVII pag. 4°.

[2] Codex diplomaticus tomi secundi (sine titulo et anno) CCXCVI pag. 4°, rarissimus, ad annum usque 1135 diplomata inedita exhibet. Alia jam documenta in *Novis subsidiis diplomaticis* Alexandri Würdtweinii (tomo III, V, VI, 1782-1785) publici juris fecit, quorum originalia hodie partim deperdita sunt, minimam tamen uberrimæ messis partem quam ei colligere licuit et de qua jam ipse generoso spiritu scribebat : « Succrescit in molem immensam chartophylacium nostrum ex tabulariis patriis et vicinis erutum atque præstantissimo quatuor mille chartarum incremento auctum augetur quotidie. »

[3] De Grandidierii vita scripsit inter alios, Ludovicus Spach, in periodico *Revue d'Alsace*, 1850, p. 465 ss.

Aliud quoque flebili Grandidierii exitu interruptum est opus, quod ille cum Argentinensi pictore quodam, Georgio Walter inceperat, amœna Alsatiæ loca calamo simul et penicillo describendi, quod aliquantum temporis a Friderico Schœllio Argentinensi, eruditis postea non ignoto, continuatum est[1].

Grandidierius paulo ante mortem, mense septembri 1787, quum in abbatia Sancti-Blasiü doctissimi Gerberti hospes esset, prospectum historiæ ecclesiasticæ Argentinensis novum, ad illustrandam *Germaniam sacram* delineavit opusque in tres partes divisum doctis coævis annunciavit, quarum una ipsam episcoporum seriem, altera clerum sæcularem atque regularem, tertia vero diœcesis in parochias divisionem exhibiturus esset[2].

Quidquid postea ineditum ex immenso manuscriptorum Grandidierii numero ex variis latebris, seu Argentorati, seu Lipsiæ ad lucem productum est[3] pio labore viri quem antea nominavimus Josephi Liblini, Colmariensis, nunc Parisiensis, ex ordine typis mandatum est, sex voluminibus inclusum[4]; in quibus tomus tertius quoque *Historiæ episcoporum* ab auctore ipso absolutus inest[5]. A sæculo tertio decimo tamen notitiæ modo librorum XI-XVII ad Rohanios usque imperfectæ servatæ sunt[6]. Tum varia fragmenta de rebus alsaticis diversis sequuntur; Dictionarium denique provinciæ historico-topographicum, etsi fragmentarium,

[1] *Vues historiques et pittoresques de l'Alsace, dessinées, gravées et terminées sur bistre par M. Walter, citoyen de Strasbourg, accompagnées d'un texte historique* (par Grandidier). Strasb., Librairie académique, 1785-1787 (116 p. 4° et 12 fig.).

[2] Hujus operis lineamenta a Josepho Liblino in lucem protracta sunt, *Revue d'Alsace*, 1869, p. 529-540.

[3] Manuscripta a doctissimo viro Andrea Jung, Argentinensium bibliothecario, anno 1851, tum altera vice, anno 1861 publica auctione Lipsiensi coempta, anno 1870 incendio perierunt, felici tamen casu non antequam in publicum tradita essent.

[4] *Oeuvres inédites de Philippe-André Grandidier, publiées par Joseph Liblin.* Colmar, bureaux de la *Revue d'Alsace*, 1865-1868, XIV, 585; 511; 413; V, 590; 578; IV, 475 p. 8°.

[5] Tomo Operum ineditorum I, II, III ad paginam 113 inest, libros VII-X exhibens.

[6] Tomo III, 2; IV, V, 1 insunt.

multis tamen e fontibus ineditis collectum et idcirco sæpe utilissimum, in tomis V et VI collocatum est[1].

Nec his tamen includuntur omnia quæ vir eruditissimus per breve vitæ spatium conscripsit[2]. Nam et in bibliotheca civitatis Argentinensis nova fragmenta quædam, minimi sane pretii, autographa a Josepho Liblino dono data servantur[3] et aliis in locis alii majoris momenti codices Philippi nostri indubie latent[4].

Post tantos viros vix ultimos huic paragrapho adnumerandos auctores vel opera nominare audeo, tam parvi sunt pretii ; sed ne in crimen vocer quod materiæ meæ quidquam oblitus sim, illi quoque hic brevissime notentur. Primus in bibliotheca civitatis Argentinensis nunc depositus codex, *Epitome historiæ Alsatiæ*[5], ex collectione Ahlfeldiana et, nisi fallor, ex reliquiis domini Metrot, clerici Argentinensis, Grandidieri, affinis ac discipuli, ad præsentem sedem pervenit. A presbytero sine dubio catholico circa annos 1760-1770 descriptus est[6] et ecclesiastica præsertim fata provinciæ inde a Julio Cæsare et Ariovisto, quasi ab epitomatore Laguillii referuntur. Prelo nunquam subjectum est sed ad hunc usum, fortasse in superioribus scholarum catholicarum classibus reservatum fuit manuscriptum, ea de ratione præsertim memoratu dignum quod primum est specimen historiæ alsaticæ sermone gallico ad vulgi usum accommodatæ.

Valde copiosior *Historia Alsatiæ* est a jurisconsulto Colmariensi Felice Henrico Josepho Chauffour compilata, quæ duabus recen-

[1] *Description de quelques villes et bourgs ainsi que des principaux endroits de l'Alsace* (tom. V, 2, VI).

[2] Cfr. Liblin, *Coup d'œil rétrospectif sur le sort des manuscrits de Grandidier, et fragments inédits. Revue d'Alsace*, 1891, p. 142, 467 ; 1892, p. 241.

[3] Bibl. Civit. Argent. Mss. nº 702.

[4] Franciscus Josephus Mone in proœmio *Fontium badensium* (*Quellensammlung*, I, p. 30) anno 1848 asseverabat tunc temporis in castello Altorfiano domini de Turckheim longam Grandidierii manuscriptorum seriem fuisse, quam nuper ad bibliothecam magniducalem Carolsruhensem publicam translatam fuisse a doctissimo viro Leone Dacheux accepi; recentissime vero Rev. Pater Angelus Ingold, manuscriptorum elucidationem inchoavit et ea quam celerrime ad usum publicum se evulgaturum esse promisit.

[5] *Petit recueil de l'histoire d'Alsace*, 177 pag. in-18 (Mss. nº 1).

[6] Ultima facta in Epitome consignata ad annum 1759 pertinent.

sionibus in bibliotheca Colmariensi publica asservatur[1]. Ille vir doctus quarto decimo die martii 1718 natus, syndicus creatus est anno 1750, quum antea advocatus apud Consilium supremum esset, et Colmariæ sexto decimo decembris 1801 in urbe patria denatus est. Prima narrationis hujus perscriptio, 3360 paginis in-folio, ad annum 1788 historiam perduxit, nec indice ornata nec in capita divisa est, sed testis est Waltzius eruditionem auctoris in fatis provinciæ urbisque natalis describendis non infirmam fuisse. Secunda vice Chauffourius paulo brevius eamdem materiam ad annum 1789 tractavit (quanquam et ille codex 2041 paginarum in folio est) diversa vero ratione, quum universæ recentiorum sæculorum historiæ partem copiosius et accuratius tractaverit. Ipsa farraginis amplitudo causa fuit cur ad hoc temporis momentum non minutius ab eruditis examinaretur, itaque non constat utrum ex antecessoribus, Schœpflino, Laguillio, Grandidierioque compilata sint manuscripta an propriis auctoris studiis exstructa; quod quum mihi in dubio sit, sequentibus investigandum relinquo.

Perbreves denique *Notulas ad historiam alsaticam* in bibliotheca Universitatis Argentinensis asservatas prætermittere nolumus[2], etsi notulæ illæ quæ a jurisconsulto alsatico anonymo ante mutationes sæculi XVIII exeuntis conscriptæ sunt, et in quibus præsertim de finibus Alsatiæ septentrionalis agitur, parvi pretii æstimantur[3].

§ 26. **De scriptoribus rerum Argentinensium sæculi XVIII.**

Quum in præcedente paragrapho scripta sæculi XVIII præcipua ad Alsatiæ historiam spectantia ampliore mentione enumeraverimus, præsenti pagella multo brevius varia scripta de Argenti-

[1] *Histoire d'Alsace.* Cf. de his codicibus Waltz, *Catalogue de la Bibliothèque Chauffour*, p. 9-11.

[2] *Notes sur l'histoire d'Alsace de Doppelmayer*, in folio (Bib. Univ. L. Als. 93).

[3] Et ille codex ex Ahlfeldiana collectione acquisitus mihi ex manuscriptis prædicti abbatis Métrot originem duxisse videtur.

nensium peculiaribus fatis aut potius antiquitatibus et institutis perlustrare nobis liceat, quæ etsi partim merito laudantur ad universam tamen provinciæ historiam minus valent.

De Jacobo Wenckero paternæ chronicæ continuatore jam supra diximus, nec non de ejus excerptis quæ Annales Sebastiani Brant falso vocantur, de Collectaneis quoque Argentoratensibus historico-politicis in Archivo Civitatis et de historico-ecclesiasticis in Archivo Thomano mentionem antea fecimus, in quibus fragmenta diversorum historica, epistolas varias ad se vel ad alios missas, sive ipsas sive transcriptas aggregavit[1]. Inest etiam Archivo Civitatis volumen in folio in quo quum series omnium scriptorum qui de rebus alsaticis disseruerunt ab eo consignata est, tum conspectus historiæ Alsaticæ et speciatim Argentinensis delineatus est quinque in capita distributus, ab originibus ad annum 1681, cum notis bibliographicis quod post annum 1727 a Wenckero conscriptum fuisse hac de ratione constat, quia jam Laguillius in illis adducitur. Maximam vero debent hodierni scriptores Wenckero gratiam quod in duobus voluminibus quæ *Collecta archivi jura*[2] *et Apparatus et instructus archivorum*[3] inscribuntur, magnam diplomatum et chartarum copiam ex archivo civitatis extraxit, quæ res eo magis laudanda est quod et Laguillium et multo magis Schœpflinum et Grandidierium ætate antecessit[4].

Farrago vero secundum veterem Argentinensium consuetudinem tibi videbitur *Descriptio celeberrimæ Argentoratensium urbis* sive a Johanne Georgio Heckheler, Ecclesiæ majoris opifice, sive a filio Johanne conscripta. Natus est pater anno 1628 et fabricæ Beatæ Virginis artifex anno 1654 creatus hoc officio usque ad

[1] In unoquoque archivorum Argentinensium jam designatorum tres servantur Collectaneorum volumina in-folio.

[2] Collecta Archivi et cancellariæ jura quibus accedunt de archicancellariis, vice-cancellariis, etc. clarissimorum virorum commentationes. Argentorati, Dulssecker, 1715, 821 pag. 4°.

[3] Apparatus et instructus archivorum ex usu nostri temporis, vulgo von Registratur und Renovatur, novis observationibus nec non rerum germanicarum præsidiis adornatus, etc. Arg. Dulssecker, 1713, 477 pag. 4°.

[4] De Jacobo Wenckero vide etiam Wegele, *op. cit.*, p. 731.

1669 (?), quo anno obiit, functus est; filius vero — an nepos? — anno 1736 codicem absolvisse dicitur. Variis sub titulis exstabat Heckhleri manuscriptum, ut *Celeberrimæ Argentinensis Urbis descriptionis, d. i Strassburgische Chronica oder aussführliche und eigentliche Beschreibung der in aller Welt bekannten freyen Kœniglichen elsæssischen Statt Strassburg, etc.*, in-folio[1]. Codex vero Heckhlerianus qui hodie ex collectione Heitziana in bibliotheca Universitatis Argentoratensis asservatur ita inscribitur: « *Der Statt Strassburg Beschreibung in politischen Sachen, in Ordnungen, Statuten und dergleichen, wie auch des adels und der statt gehapten gelehrten Leuthen sampt zweyen indicibus*[2] », neque ullo modo *Chronici* Argentoratensis nomine dignus est, quum nihil aliud sit nisi descriptio regiminis civitatis politici et collectio uberrima quidem sed nullo ordine congesta edictorum Magistratus Argentinensis de omnibus materiis, politicis, œconomicis, ecclesiasticis, judiciariis per sæcula XVI et XVII præsertim promulgatis[3]. Et privilegia imperatorum et regum a Carolo Magno ad Ludovicum XIV transcripta sunt (fol. 335ª—358ª) et Johannis Caspari Eisenschmidii notitia de situ geographico urbis (fol. 397ª) notæque de nobilitate Argentinensi (fol. 403ª—417ª), de civibus celebrioribus ordine alphabetico collatis (fol. 423ª seq.), primum Dictionarii Argentinensis biographici exemplum.

Codex, quemadmodum nobis traditus est, nullam descriptionem urbis continet et ne Heckhleri cujusdam nomen quidem a coævis ei inscriptum est[4]; effigies viri a Gregorio Barezza 1695 ligno incisa et volumini nostro inserta Heckhlerianum id opus esse unice proclamat, quod, ut ex variis documentis ibidem insertis

[1] Aufschlager, *op. cit.*, tom. I, p. 129. — Et Strobelius eum sub titulo *Strassburgische Chronica* in testimonium citat (V. 217).

[2] Tomus fere quingentas paginas in-folio continet.

[3] Et antiquiora passim reperiuntur, ut notulæ de lupanaribus Argentorati (1388-1471) toleratis (fol. 76ª) et ad sæculum XVIII spectantia, ut edictum de balliviatis extra muros administrandis anni 1732 (fol. 115ª) et relatio de incendio turris S. Thomæ ecclesiæ anni 1733 (fol. 331ª).

[4] Epistola domini Feydeau de Brou, Alsatiæ intendantis, quinto augusti 1740 scripta, recentissimum est codicis documentum (fol. 245ª).

apparet, usque ad annum 1740 a quodam e stirpe seu primi seu secundi Heckhlerii, sive filio sive nepote, continuatum fuit[1]. Multa singularia codici certe insunt quibus in opusculo illo locus non erat. Fortasse quasi appendix Chronici Heckhleriani proprii, nunc deperditi, fuit. Ejusdem etiam auctoris (sane quidem Johannis Georgii), *Descriptionem Ecclesiæ cathedralis Argentinensis* speciatim delineatam[2] inspicere mihi non magis datum est, etsi eam adhuc alicubi servari sæpius confirmatur.

Posteriore sæculi dimidio varia scripta, partim ad hoc temporis inedita, de fatis et monumentis urbis regiæ tractant. Jam anno 1771, Sartinius, securitatis publicæ minister, prætorem regium rogabat quid de libro sentiendum esset cui titulus *Essai sur la ville de Strasbourg* et quem Lutetiam Parisiorum excudendum auctor miserat[3]. Opusculum erat clerici Argentinensis et in ecclesia cathedrali cantoris, domini de Hautemer, qui historiam civitatis et provinciæ compilaverat[4], quæ num exstet et ubi nunc lateat nescio[5]. Paucis annis post idem lectoribus relationem Alsatiæ topographicam, historicam et genealogicam sese editurum esse pollicebatur quæ nunquam in lucem prodiit[6]. Ex omnibus quæ scripsit nihil nisi *Descriptio civitatis Argentinensis* anno 1785 prelo mandata est, pro tempore non inutilis, etsi rem satis leviter præstrinxit[7].

Anno 1781 quum sæcularibus festis Argentoratensium civitas

1 Exterior modo codicis titulus inscriptionem habet «*Heckhelers Beschreibung von Strassburg 1695*».

2 Xaverius Horrer in procemio operis *Dictionnaire de l'Alsace*, opusculum inter fontes (p. IX) enumerat.

3 Archivum Civitatis, A. A. 2352. — Cfr. etiam J. F. Hermann, *Notices*, I, p. XIX.

4 «*Histoire de Strasbourg et de la province d'Alsace*». Ex Schœpflino magna de parte compilatam fuisse affirmat Hermann, *loco citato*.

5 Quod in Archivo Civitatis (A. A. 2060) repositum est memoriale : «*Mémoire sur une histoire de la ville de Strasbourg écrite par le sieur d'Hautemer*» ad idem sane opus spectat.

6 «*Description topographique, historique et généalogique de l'Alsace, 1778*». Cfr. Horrer, *op. cit.*, p. IX.

7 *Description historique et topographique de la ville de Strasbourg* (s. nomine auctoris). Strasbourg, Amand Kœnig, 1785, 186 p. in-18.

centenarium urbis cum Galliæ corona conjunctæ celebraret, ex jussu lutheranorum Magistratus consiliariorum Johannes Laurentius Blessig, theologiæ professor, sermonem panegyricum composuit secundæque orationis editioni ipse notularum seriem adjunxit quibus brevis historia Argentinensis comparata est, non ex documentis solum jam pridem cognitis, sed etiam ex chronicis ineditis ad erudiendos illiteratos compilata[1]. Additæ sunt (p. 111-119) tabulæ chronologicæ in quibus ab anno 57 ante Chr. natum ad annum 1781 post Chr. natum omnes fere res Argentoratenses memoria dignæ enumeratæ sunt.

Illo quoque tempore in alma civitatis Universitate professores nonnulli inter quos Scherzium, Schœpflinum, Kochium tantum nominare opus est, dissertationibus ad res patrias spectantibus etiam discipulos ad historiarum studium incitabant; quod sæculo superiore rarissime evenerat, tum vero non apud historicos solum sed etiam apud medicos, herbarios, philosophos et jurisconsultos sæpissime factum est. Inter quos Jacobi Friderici Mollingeri dissertatio *de jure vexilli Argentoratensium*[2] nominanda est, quæ de privilegio mediævali civitatis, S. Imperii Romani vexilli in itinere romano regibus præferendi disputat idque ex documentis archivi ad iter Friderici III imperatoris (1475) spectantibus demonstrat.

Hic quoque Johannis Martini Pastorii jurisconsulti opusculum de consulibus civitatis Argentinensis citandum est in quo ille non solum contra Johannem Schilterum polemice de statu, officio juribusque consulum disserit sed etiam seriem eorum ab anno 1332 ad annum 1761 cum insignibus uniuscujusque breviter describit[3].

[1] *Jubel-Rede bey Strassburgs frohem Eingang in das zweite Jahrhundert ihres Wohlstandes und Friedens unter Franckreichs Regierung, den 30. September 1781 gesprochen von J. L. Blessig. Verbesserte Auflage mit historischen Erlæuterungen.* Strassburg, J. H. Heitz, 119 p. 8°.

[2] Argentorati, Kürssner, 1736, 78 pag. 4°. — Dissertationis est ipse auctor, secundum enim usum illorum temporum, disputationis præses, si eam conscripsisset, in titulo nominatus esset.

[3] *Kurze Abhandlung von den Ammeistern der Stadt Strassburg.* Strassb. G. R. Stochdorph, 1761, 209 pag. in-18.

Eodem fere tempore Matheus Heus verbi divini inter Argentoratenses minister *Collectanea ad historiam reformationis alsaticæ* pertinentia annalium sub forma compilavit quæ, quum anno 1768 e vita migraret modo ad annum 1530 perducere potuit, sed quoniam, teste Timotheo Guillelmo Rœhrich, nulla quæ non jam optime cognita essent suis in schedis habebat, jactura codicis incendio anni 1870 destructi non valde dolenda esse videtur [1].

Acriore dolore nos afficimur quod iisdem bibliothecarum nostrarum ruinis Johannis Andreæ Silbermanni Collectanea ad historiam patriæ innumera deleta sunt. Is Argentinæ, vicesimo sexto die junii 1712 natus, et organorum constructor celeberrimus, et antiquitatum indagator pertinax doctusque fuit, qui per longam et laboriosam vitam (undecimo die februarii 1783 defunctus est) e monumentis ipsis, e chronicis documentisque variis quæcunque ei ex pristinis temporibus digna videbantur quæ conservarentur delineavit mappisque suis inseruit. Ex hac materiarum acervatione primam modo partem historiæ vel potius topographiæ Argentinensis in lucem edere ipsi contigit [2], quæ pars prætori regio Baronio d'Autigny dicata, urbem antiquam a Romanis exstructam, circumvallationes et portas describit numerosis etiam posteriorum temporum factis e chronicis ineditis immixtis [3]. Pars secunda quam auctor conscripserat totam sed nondum prelo mandaverat et in qua partes civitatis internas describere curaverat, cum omnibus locupletissimis collectaneis et monumentorum designationibus incendio hostium missilibus accenso consumpta est. Aliquantula modo excerpta Johannes Friese anno 1804 ex mappis Silbermannianis extraxerat; in ejusdem libro catalogum summarium Collectaneorum, quæ viginti quinque voluminibus inserta erant, invenies [4].

[1] T. W. Rœhrich, *Geschichte der Reformation im Elsass*, tom. I, p. 3 et 258.

[2] *Local-Geschichte der Stadt Strassburg*, herausgegeben von Johann Andreas Silbermann, Strassburg, Jonas Lorenz, 1775, 232 pag. in-folio cum chartis.

[3] In bibliotheca civitatis Argentinensis nova duplex recensio codicis Silbermanni ex abnepotis dono, autographa servatur.

[4] *Historische Merckwürdigkeiten des ehemaligen Elsasses aus den Silbermœnnischen Schriften gezogen*, Strassburg, Silbermann, im Jahr XII, XII, 221 pag. in-18.

Andreas noster et historicam descriptionem monasterii Sanctæ Odiliæ anno 1781 in lucem edidit, elegantibus Weisii imaginibus exornatam [1].

Ultimus hoc paragrapho Johannes Michael Lorenz jure commemorandus est, 31 maji anno 1723 Argentorati natus, historiarum professor extraordinarius Universitatis anno 1753 creatus, qui varia ex patria historia conscripsit opuscula [2], quorum unum modo adhuc exstat manu scriptum quod inscribitur *Argentoratus* et quatuor capitibus distributum est [3], e quibus unum de Argentorato romana, ab anno mundi 3990 ad annum 450 post Ch. n., alterum de Argentorato francica (496-870), tertium de Argentorato germanica (870-1681) quartum denique de Argentorato gallica (1681-1800) narratione plus quam sobria tractat ; quo in scripto, ut in cæteris Lorenzii historicis operibus [4], nihil nisi ossa sine sanguine, si mihi his verbis uti licet, invenies, quorum pars una, dissertatio academica in lucem edita est quum jam magna perturbatio rerum franco-gallicarum incepisset [5].

Ne quidquam, vel minimum, prætereaam, Chronici familiaris (*Hausbuch*) cujusdam Gothofredi Schœnhaupt civis Argentinensis et pectinum opificis mentio fiat quod anno 1771 inchoatum ex nonnullis fragmentis nobis notum est, quæ a familia auctoris, anno 1805 emortui, multo postea periodico Mulhusino inserta sunt [6] quæ quum ne ad laudem quidem priscorum civitatis annalistarum pervenerint vix digna habenda sunt quibus animum intendas.

[1] *Beschreibung von Hohenburg oder dem St. Odilienberg.* Strassburg, Lorenz u. Schuler, 1781, 134 pag. in-18.

[2] Et *Tabulæ historicæ Argentinenses* ab antiquissimo aevo usque ad annum 1801 manuscriptæ citantur quod tamen fortasse idem ac sequens Lorenzii opusculum est.

[3] Exstat in bibliotheca Universitatis (L. Als. 236) 138 quaternionibus inscriptum, ex copia Silbermanni typographi mense januario 1802 finitum.

[4] Elementa historiæ universalis, Argentorati, Heitz, 1772, 8°. — Elementa historiæ Germaniæ, ibid. 1776, 8°. — Summa historiæ franco-gallicæ, Argentorati, Treuttel, 1790-1793, 4 vol. 8°.

[5] Urbis Argentoratus brevis historia. Sectio I : Argentoratus romana ab anno 1-456. Argentorati, Dannbach, 1789, 24 pag. 4°.

[6] *Elsæssisches Samstagsblatt*, Mulhausen, 1857, pag. 34, 67, ss.

Hoc denique loco prima periodica scripta consignari possunt Argentorati Colmariæque edita, in quibus Alsaticas historias, vitas illustrium virorum, anecdota varia, urbium locorumque amœnorum descriptiones, utriusque sexus lectoribus, et mediocriter eruditis editores obtulerunt, quæ etiamsi docta studia nullo modo promoverint, tamen non omnino silentio prætermittenda sunt[1].

§ 27. De scriptoribus variis variorum Alsatiæ locorum sæculo XVIII.

Quoniam ad finem jam operis hujus imperfecti progredimur, reliquum est ut de his quoque historiis peculiaribus pauca referamus quæ sæculo XVIII diversis in provinciæ locis exscriptæ, continuatæ sive iterum compilatæ sunt quanquam non magni momenti habendæ sunt. Nonnullæ tamen ad historiam Alsatiæ universam non inutiles videri possunt, inter quas primo loco Balthasaris Bœllii, Wissemburgensis scripta ponemus. Is Wissemburgi vicesimo octavo die aprilis 1673 natus, juridicis studiis absolutis, in consiliis urbis patriæ receptus, ab anno 1710 ibidem consulatum gessit donec vicesimo quarto die maji 1729 post longam ægritudinem morte abreptus est. Juridicos codices varios de consuetidinibus Mundati inferioris et civitatis Wissemburgensis tribus voluminibus compilavit[2] quæ Schœpflinus, suo tempore inter manuscripta bibliothecæ suæ asservabat et quæ anno 1870 flammis consumpta sunt. Fragmentum tamen de bello rustico e codice qui

[1] Argentorati prodiit periodicum hebdomadarium *Der Bürgerfreund* (Strassburg, Stein, 1776-1777 in-18) in cujus quatuor tomis multa hujus naturæ enarrantur, a quibusdam theologis lutheranis, Johanne Laurentio Blessig, Dahlero, etc. præsertim descripta. Colmariæ aliud periodicum *Der gelehrte Bauer*, cujus nomen mox mutatum, *Der elsæssische Patriot*, ultimis vero temporibus *Der patriotische Elsæsser* fuit, per annos 1776-1777 apud Neukirchium bibliopolam a magistro quodam P. J. Wegelino, Wurtembergico, editum est, cui Sigismundus Billingius, Colmariensis Gymnasii rector, permultas de historia topographiaque Alsatiæ notitias inserendas mandavit.

[2] *Weissenburger Mundatrecht*, 1 vol. 4°. — *Weissenburger Stattrecht*, 2 vol. 4°.

inscribitur *Weissenburger Stattrecht* (tom. II, fol. 4 ssq.) anno 1847 a viro de rebus Wissemburgicis bene merito, Josepho Ohleyero excerptum fuerat et post interitum operis ipsius typis evulgatum est[1]. Etsi e relatione manu scripta jam allegata Beati Dieterici canonici multa hausit Bœllius tamen et ex archivo civitatis nonnulla desumpsit; imperitia tamen editoris seu incuria, auctoris narratio ita cum ejus commentariis commixta et confusa est ut ipsum Wissemburgensis jurisconsulti opus restruere difficile sit. Tertium denique Bœllii scriptum *Chronicon Wissemburgense et Haganoense* ab anno 1633 ad annum 1712 [2], tres in partes divisum, brevissima narratione res inter annos 1633-1664 gestas exponit, annorum sequentium annales autem fragmentarie modo vel notati vel servati sunt. Exstat vero integra tertia pars de bello successionis hispanicæ (1702-1712) a Balthasare nostro in balneis Silvæ Nigræ, Wildbad dictis, anno 1727, sexaginta duobus capitulis[3] ad filii usum conscripta cui summam rerum politicarum prudentiam inculcaret[4]. Cujus fragmentum (ad annos 1706-1712) Franciscus Josephus Mone in periodico suo olim in lucem edidit[5]. Is codex qui ex archivo Wissemburgensi ad archivum episcopale Spirense migravit et inde ad archivum magniducale Carolsruhæ translatus est nescio an dignus sit qui totus emittatur[6].

Ad Wissemburgensem historiam quoque attinet Christiani Davidis de Papelier Argentinensis dissertatio inauguralis *de Mundato Weissenburgensi*[7] qua origines et « districtus ampli qui oppidum

[1] *Der Bauernkrieg um Weissenburg anno 1525.* Weissenburg, Wetzel, 1873, 130 pag. 8º.

[2] « *Weissenburger und Hagenauer Chronica, de anno 1633 biss 1712.* » 1 vol. 4º.

[3] « *Es ist heute, den 29. junii 1727, da ich im Wildbad bin, und dieses mein Zeit zu vertreiben schreibe, zu dem End ich einige Schriften mitgenommen.* »

[4] Ex loco quodam capituli 41 lectores alios auctorem interdum respexisse satis apparet.

[5] *Zeitschrift für Geschichte des Oberrheins*, Karlsruhe, Braun, 1865, vol. XVII, p. 1-30.

[6] Carolsruhæ apud manuscriptos codices sub numero 72 asservatur.

[7] Argentorati, J. H. Heitz, 1781, 86 pag. 4º.

Wissemburgum cingit et vulgo vocatur Mundatum, *die Mundat* (qua voce denotatur terræ tractus immunitate gaudens) » satis ampla narratione jura atque historiam exposuit.

Inter scripta ad Alsaticam historiam spectantia vix Georgii Christiani Crollii opus numerandum est quo vitam Caroli Augusti Friderici Bipontini ducis enarrat; quia tamen tertio in capitulo oppidum et balliviatum Bischwilleranum in Alsatia inferiore describit, additis notitiis de comitibus Palatinis Birckenfeldianis, qui sæculis XVII et XVIII locum illum domicilio elegerant, opus a Bipontini Gymnasii rectore conscriptum[1] licet aridissimæ eruditionis plenum sit non omnino his in pagellis omittere voluimus[2].

Brevem et historiæ et regiminis Selestadiensis narrationem concinnavit Franciscus Mathæus Kentzinger, Selestadii duodecimo octobris die, anno 1714 ortus, qui procurator magistratus constitutus per ultima vitæ tempora bibliothecæ Beati Rhenani celeberrimæ custodiam habuit Selestadiique denatus est duodecimo martii die 1774. Relatio est a viro bene instructo bene instructa, qua res gestæ, topographia, constitutio, viri civitatis illustres deinceps perlustrantur, pro tempore certe laudanda[3]. Paulo post et alius Selestadiensis incola R. P. Dominicus Roos dialogos de historia patria ad usum adolescentium collegii Societatis Jesu conscripsit[4]. Ex quo libello, licet brevissimus fuerit, alius anonymus scriptor majorem historiam amplificavit de qua bonus pater cum summo fastidio loquitur[5], quæque in bibliotheca Selestadiensi, quanquam

[1] Natus est G. Ch. Crollius 21. julii 1728, denatus autem Biponti 23. martii 1790.

[2] «*Denkmahl Carl August Friderichs des Einzigen... mit vorlæufiger Beschreibung der Kirchen und Gruften auch der Herrschaft Bischweiler*, etc. Zweybrucken, Hallanzy, 1784-1785, 198 pag. 4°.

[3] *Mémoire historique de la ville de Schlestadt en Alsace, une des dix villes impériales de la préfecture provinciale de Haguenau, depuis son origine jusqu'à la réunion avec la couronne de France, tiré des archives de la ville par F. M. K. 1765*, 83 pag. 4° (Mscr. Bibl. Schlest. 2639).

[4] A Kentzingerii successore domino Josepho Gény presbytero, anno 1890 in periodico Selestadiensi *Elsœsser Nachrichten* publici juris factum est.

[5] «*Ein falscher Litterateur machte aus derselben ein grœsseres Buch voller Gewœsch, so nicht zur Sache gehœrt.*» J. Gény, *Jahrbücher*, II, p. 814.

nullius est pretii, asservatur[1]. Ipse tamen collectanea sua documentis assiduo labore adaugens, ultimo sæculi decennio novam opusculi recensionem duobus voluminibus descripsit[2] cujus vir doctissimus Josephus Gény partem solum concivibus nuperrime ante oculos posuit[3]. Etsi nunc Roosiana hæc manuscripta omnia ad peculiarem Selestadiensem historiam, testimonio editoris, utilitate non carent, autobiographiam tamen Reverendi Patris, anno circiter 1796 delineatam[4] et cujus fragmenta eidem Josepho Gény debemus[5] multo majoris pretii ad historiam scientiarum et morum cognoscendam æstimamus et valde nobis optandum videtur ut illud lepidæ ingenuitatis monumentum cum annotationibus sed integrum et sine lacunis a primo editore recudatur.

Cæteras Alsatiæ superioris civitates Colmaria varietate et auctoritate scriptorum longe superavit. *Memoriale seu Diarium* Reverendorum Patrum Societatis Jesu a collegii rectore, P. Jacquessonio anno 1698 inchoatum et a successoribus ad annum 1750 porro tractatum a Juliano Sée ex autographo Colmariæ servato in lucem editum est[6]. Cum litteris annuis Patrum Societatis Selestadiensium, de quibus superiore paragrapho diximus, haudquaquam comparari possunt hæ notitiæ stylo arido et quasi exsangui conscriptæ, quæ tamen ad internam urbis historiam alicujus utilitatis sunt, ad historiam vero morum seu ecclesiasticam non tam aptæ quam ex titulo sperare licet. Sigismundum Billingium aliquoties jam nomi-

[1] *Neue encyclopedische in alttestamentlichen Gleichnussen vorgestellte chronologico-topographische Beschreibung dess nach verhergten Elcebo zu der Tribœcer Zeiten auffgerichteten Schlettstats, etc.* 1765.

[2] Quorum primum inscribitur *Gespræche über alle Merckwürdigkeiten des Orts Schlettstatt... angestellt von zween Brüdern,* 1790 (270 pag. fol.), secundum vero *Namhaffte Leute und Hæuser von Schlettstatt* (1793, fol.).

[3] In periodico *Elsæsser Nachrichten*, anni 1896 dialogos passim edidit Josephus Gény.

[4] Dominicus Roos Selestadii natus 17. julii 1736, patre sutore, apud Moguntinos patres anno 1755 novitiatum inchoavit et per longos annos, usque ad Societatis abolitionem professor in collegio Haganoensi, tum Selestadiensi fuit. Denatus est 3. junii 1804. (Gény, *op. cit.*, II, p. 836.)

[5] Gény, *op. cit.*, II, pag. 720-833, ubi, quasi voluminis mole obruta est Roosii *Vita* et inter annotationes sepulta.

[6] *Mémoires des RR. PP. Jésuites du Collège de Colmar* (1698-1750) publiés par Julien Sée. Genève, Fick, Colmar, Barth, 1872, XVI, 200 p. 8°.

navimus utpote cujus accuratissimæ diligentiæ partem non mediocrem Colmariensium chronicarum debeamus; nunc vero de eo, ut patriæ civitatis annalium scriptore mentio facienda est. Natus est vicesimo primo die septembris anno 1742, nepos Sueci cujusdam qui sæculo XVII cum Gustavo Hornio, celeberrimo Gustavi Adolphi duce, in Alsatiam venerat, et studiis theologicis Tubingæ absolutis, aliquantum temporis Horburgi pastor fuit, deinde ad Gymnasium evangelicum Colmariense vocatus, anno 1774 scholæ rector designatus est. Obiit vicesimo quinto die decembris 1796, quum Gymnasio vicissitudine rerum everso, per ultimos vitæ annos archivis præpositus fuisset. *Chronicæ Colmariensis* ejus[1] ex parte jam a Julio Rathgebero publicatæ[2], ab Andrea Waltzio, civitatis bibliothecario, nuper cum notulis textus integer publici juris factus est[3]. Billingii Chronica prima recentiorum Colmariensis historiæ compilationum, amore veritatis certe quidem incensa est sed nec rerum cognitione satis instructa nec forma satis oratoria esse videtur, in ea quidem parte quæ ad medii aevi tempora pertinet; ad sæcula tamen XVII et XVIII cognoscenda jam utilior est; utilissima vero extrema diarii pars est quam per magnæ franco-gallicæ mutationis annos, usque ad eum fere diem quo vita defunctus est produxit. Idem de historia Alsatiæ dialogos[4] ad usum puerorum gymnasii Colmariensis, R. P. Dominum Roosium Selestadiensem imitatus, conscripsit qui partim in programmate scholæ per annos 1777-1789 typis exstant.

Billingii discipulus dici potest Franciscus Lerse, Bipontinus, studiosus ille theologiæ qui annis 1771-1772 Argentorati cum Gœthio, Jungio-Stillingio, Lenzio, Ramondo de Carbonnière aliisque commilitonibus familiariter vixit et cui Germaniæ poetarum illus-

[1] Autographum Billingii describit Waltzius in catalogo bibliothecæ Chauffourianæ, pag. 86.

[2] *Colmar und Ludwig XIV.*, 1873, p. 3-50. — *Colmar und die Schreckenszeit*, 1873, p. 3-76.

[3] *Sigmund Billings kleine Chronik der Stadt Colmar*, herausgegeben von Andreas Waltz. Colmar, Jung, 1891, VII, 374 p. 8°.

[4] Codex manu scriptus 547 paginarum in-8°, in collectione Chauffouriana adhuc exstat. Vid. Waltz, Catalogue, p. 5.

trissimus in dramate *Gœtzii de Berlichingen* fidelis amicitiæ monumentum erexit. Anno 1774 Lersius Colmariam venit et per viginti fere annos in Conradi Theophili Pfeffelii, poetæ tum celeberrimi, Academia militari professor et conrector versabatur, Billingio quoque amicissimus erat et Colmariensium historiarium se studiosum fuisse, opusculo *de reformatione ecclesiæ in urbe Colmariensi* anonymo, anno 1790 (an Colmariæ, nescimus) edito comprobavit[1]. Ne adversariorum odio lacesseretur proœmium operis Berolini anno 1788 descriptum fuisse finxit, etsi usque ad annum 1793 in Alsatia permansit[2]. Dissertatio Lersii quanquam hodiernis de hac materia elucubrationibus, Xaverii Mossmanni, Henrici Rochollii, cæterorum, nequaquam par est, suo tamen tempore, quum ex actis diligenter exstructa sit, omni laude digna fuit.

Testem morum et opinionum eadem in urbe per secundam sæculi partem fidelissimum habemus Dominicum Schmutzium, fabrum Colmariensem honestum, qui anno 1717 in vico archiducatus Austriæ natus, post varios casus ex Helvetiæ finibus Guebwillerum primum, tum Colmariam migravit et per multa discrimina rerum usque ad vitæ suæ exitum quotidianos eventus, vel minimos, assiduo calamo in diario descripsit. Notationes anno 1714 incipiunt et ad annum 1800 deducuntur, quæ vero ante francogallicæ perturbationis tempora relata sunt historiarum scriptores minoris momenti habebunt, narrationem vero inde ab origine magnæ revolutionis attento animo perlustrabunt ut ingenia piorum incolarum Alsatiæ superioris inculta et a novis rebus aversa penitus perspiciant. Postquam versionem diarii gallicam Josephus Liblinus publicavit[3], textum ipsum Schmutzii Julianus Sée in medium protulit, notulisque ornavit[4].

[1] *Geschichte der Reformation der ehemaligen Reichstadt Colmar und ihre Folgen bis 1633.* Sine loco, 1790, 142 p. 8°.

[2] Vindobonæ anno 1800 emortuus est. Textum relationis Mulhusiæ anno 1856 iterum excudi curavit Augustus Stœber, cum nomine auctoris quem errore quodam Berolinensem vocat.

[3] *Chronique du serrurier Dominique Schmutz, de Colmar, 1714-1800, traduite et annotée par J. Liblin.* Mulhouse, Bader, 1874, VIII, 131 pag. 8°.

[4] *Tagebuch von Dominicus Schmutz, Bürger von Colmar, herausgegeben von Julien Sée.* Colmar, Jung, 1878, XI, 234 p. 8°.

Si honesti opificis lucubrationes hominum infimæ fortunæ mentes animosque populares nobis ostendunt, ex diario Valentini Michaelis Antonii Holdt, consiliarii apud Consilium Alsatiæ supremum, cultiorum Colmariensium mores, contentiones et vota perspicere fas est. Auctor Argentorati anno 1726 ex antiqua jurisconsultorum stirpe natus, vix vicesimum annum agens in Consilium intravit, laicus primum, tum quum provectioris ætatis esset, clericus factus, et a decimo secundo die maji 1747 ad vicesimum quintum diem novembris 1790 [1] omnia quæ Colmariæ evenerunt et præsertim quæ ad Consilium supremum pertinebant, diligenter secreto suo diario inseruit [2] et ipse rerum novarum contemptor et temporis acti laudator strenuus. Quum tamen de multis rebus certior factus sit, præclaram illorum temporum imaginem e scriptis ejus recentiores extrahere possunt [3].

Ad ultimum chronicarum Colmariensium scriptorem, Franciscum Ludovicum Meyerum jam pervenimus. Is anno 1756 natus, anno 1829 denatus, rerum novarum studiosissimus et Jacobinorum sodalitati in urbe patria vehementer addictus fuit et sua sponte in bellis reipublicæ francogallicæ militiam gessit. E cujus diario quædam ad hæc bella spectantia fragmenta nepotis Caroli Guntheri Parisiensis cura in Mulhusino periodico inserta sunt, mediocris tamen momenti [4].

Guebwillerani etiam Chronici recentissima recensio ad sæculum XVIII pertinet etsi initia ejus jam sæculo XV vernaculo sermone conscripta sunt. Hæc causa est cur id a monachis delineatum esse negem ac potius civi cuidam oppiduli tribuam qui privilegia ejus strenue sed frustra contra principes S. I. R. abbates Murbacenses defendere conatus sit. Hoc quidem constat, Johannem illum

[1] *Journal du palais du Conseil souverain d'Alsace,* 426, 564, 56 pag. in-4°. Exstat in Bibliotheca publica Colmariensi.

[2] Incipiente perturbatione politica, Consilioque supremo suppresso diarium sistit suum et in oppidulo Kaysersbergensi seclusus vitam anno 1805 finivit.

[3] Partem maximam fabellarum quas viri doctissimi Pillot et Neyremand in libro *Histoire du Conseil souverain d'Alsace* (Paris, Durand, 1860, 8°) enarrant, ex Holdtii diario hauserunt.

[4] *Elsæssisches Samstagsblatt*, Mulhausen, 1857, p. 162, 168, 188, 193, 206, 211.

Stoltzium qui chronicum per annos 1520-1540 porro tractavit, laicum fuisse[1]. Postea vero in Dominicanorum monasterium translatum, legendisque variis auctum et amplificatum, Dominicanorum nomine cognitum et citatum est, nec immerito, quod R. P. Seraphinus Dietler, cœnobii Guebwillerani ab anno 1709 prior, non solum continuator ultimus sed etiam totius chronici revisor fuisse videtur, Quod ex manuscripto ejus Xaverius Mossmann, adhuc adolescens, cum supplementis assiduo labore in lucem emisit[2]. Si Dietlerianum textum cum Stoltzio comparabis, laicum sæculi XVI, satis fidelem Ecclesiæ filium, legendarum credulum novatoribusque inimicum fuisse, sed clericum sæculi XVIII longe et credulitate et odio hæreticorum illum superavisse videbis, qui absurdissimas in Lutherum, Zwinglium, Calvinum, Oecolampadium aliosque calumnias exhibuerit. Sæculo XVII Guebwillerana fata enarrata sunt a scriptore quodam nec coævo, quippe qui cometam anni 1618 commemorans affirmet eo sidere bellum portendi tricenne, nec acri rerum investigatore, quum, ut exemplo utar, Gustavum Adolphum Sueciæ regem, Norimbergæ supremum diem invenisse dicat[3]. Viginti ultimis vero annis narrationem plane coævam habemus a P. Dietlero ipso, diarii forma ad mensem usque octobrem anni 1723 adjectam, infirmi tamen ingenii elucubrationem, quum proximæ modo res, notatu sæpius vix dignæ, incendia, latrocinia, conversiones hæreticorum, processiones solemnes, etc. tabulis inscribantur.

Idem P. Seraphinus Dietlerus et Chronicon monialium cœnobii Schœnensteinbach, in Alsatia superiore, sæculo quinto decimo vel sexto decimo initiante, a sororibus ipsis conscriptum recensuisse

[1] Textum Johannis Stoltzii ex codice sæculi XVI. vel XVII Colmariæ asservato, Julianus Sée typis mandavit: *Hans Stoltz, Ursprung und Anfang der Stadt Gebweyler, Sagen- und Tagebuch eines Bürgers von Gebweiler zur Zeit des Bauernkriegs,* Colmar, Jung, 1871, 92 p. 8°.

[2] *Chronique des Dominicains de Guebwiller, publiée avec pièces justificatives.* Guebwiller et Colmar, Reiffinger, 1844, LIX, 491 p. 8°.

[3] *Chronique des Dominicains*, p. 258. Usque ad annum reunionis Argentinensis (1681) chronici tunc temporis compilator Francogallis parum favet. Cfr. p. 314.

dicitur, quod nuper in lucem editum est [1]. Varia monasterii fata a fundationis anno (1139) ad annum 1483 stylo minus polito, tum et legendis absurdissimisque narratiunculis intermixta exhibet, subitoque, nescio qua de causa, narrationem ad annum prædictum subsistit, addito modo fragmento de deprædationibus agricolarum tempore belli rustici, a reverendo patre quodam anonymo anno 1738 conscripto. Ad historiam tamen contentionum internarum inter monialium congregationes quæ regulæ reformationi quinto decimo sæculo institutai adhæserant et earum adversarias, chronica nostra non inutilis videbitur [2].

Ut Reverendi Patres Dominicani Guebwillerani sic et reverendi fratres Franciscani Thannenses chronicon quoddam ex prioribus sæculis hæreditate possidebant, sed multo amplius et quod, re vera, chronicon politico-ecclesiasticum universale dici potest, in quo provinciæ fata modicum tantum locum occupant. Maxime variis ex fontibus hausta est compilatio nostra auctoresque passim citantur, ita promiscue tamen ut Bernhardus Hertzogius, lutheranus, inter Ecclesiæ romanæ fideles numeretur, pius vero Jacobus Wimphelingius plenissimus hæresium et imposturarum dicatur auctor [3]. Is qui rudem illam et indigestam molem comparavit, Franciscus est Antonius Tschamser, Thannis duodecimo augusti 1678 natus, qui cum P. Malachiæ nomine, cucullum monasticum Lucernæ anno 1695 sumpsit, tum Thannis et Haganoæ frater, postea guardianus fuit et in urbe patria septimo decimo januarii die anno 1742 pie defunctus est. Codicem diu frustra quæsitum nostro quidem tempore in granario pauperculæ feminæ, reperisse dicitur dominus Zimberlin Biederthalii capellanus, eumque sump-

Seraphin Dietler, *Chronik des Klosters Schœnensteinbach herausgegeben von Staatsrat Dr Jean von Schlumberger*. Gebweiler, Boltze, 1895, 502 pag. 8o.

[2] Opus ipsum singulari mihi benevolentia doctissimi canonici Leonis Dacheux inspicere datum est, quod ad hunc diem non venumdatur quum et proœmium et introductio historica desint. Igitur non indicare possum quo in loco Codex Schœnensteinbachensis asservetur.

[3] Tschamser, I, pag. 268.

tibus civitatis Thannensis ab Augusto Mercklen diœcesis Argentinensis presbytero summa cura in lucem eductum habemus[1].

P. Malachiæ manuscriptum (an autographum dicam nescio) historiam universam et specialem Fratrum Minorum inde ab initiis ordinis beati Francisci ad annum 1724 quatuor in libros distributam exhibet, et jure dubitandum est num alia prædictæ congregationis provincia tam prolixam et tam absurdam historiarum farraginem habeat quam quæ ab honesto et pio sed ineptissimo capucino scripta est[2]. De Franco-Gallis etiam post primum sæculi XVII dimidium Annales verbis interdum minus amicis loquebantur[3], postea vero in regem christianissimum, quia hæreticos severioribus suppliciis vexabat, studiosissimum animum significabant[4]. Maximos errores etiam tiro multis in paginis notare potest nisi patientia ei fratris Malachiæ compilationis investigandæ deest; sed quum a patre capucino nemo tandem eruditionem requirat, errores ejus impedimento non sunt quin doctissimus quisque farraginem istam haud sine animi quadam intentione perlustret. His enim ex pagellis, interdum ineptis, horum temporum effigies, ut ita dicam, nullo velo dissimulata oculis nostris se præbet, et quali mentis et ingenii pravitate Alsatiæ superioris pars non minima ad medium sæculi illius quod Voltarianum vocant, imbuta fuerit, lucidissima imagine accipimus.

[1] *Annales oder Jahrsgeschichten der Baarfueseren oder Mindern Bruedern S. Francisci ordinis, insgemein Conventualen genannt, zu Thann... Item was sich hin und wider in der welt absonderlich im Ober- und Untern-Elsass zugetragen... auss verschiedenen manuscriptis, prothocollis und andern Scribenten zusammengetragen und in vier bucher beschrieben durch P. Malachiam Tschamser, guardianum, commissarium provincialem, MDCCXXIV.* — Colmar, Hoffmann, 1864, XVI, 740, 735 pag. 8°.

[2] Paucissimis sane quidem exemplis, inter innumerabilia contentus sit benevolus lector. Sic ad annum 1276 comitissam Margaretham de Hennenberg *trecentos sexaginta quinque* pueros puellasque, pollicis crassitudine, uno partu peperisse narrat (I, 197), nec non de homine germanico cujus ex umbilico dependet caput cui, fixo tempore cibus parari debet, anno 1516 (I, 713), etc. etc.

[3] Exempli gratia cfr. quod ad annum 1648 de « maledicta pace Monasteriensi » (II, p. 551) ad annum 1689 de « feroci incendiario Melac » (II, p. 691) Annales dicunt, Habsburgicis valde addicti (I, p. 354).

[4] Tschamser, II, p. 674, 683, etc.

Annalium continuationes Guebwilleranus quidem parochus, dominus Frayhier, Mercklini editione jam perfecta, in aliis ruralibus latebris invenit, quas P. Malachias ipse ad annum 1741 calamo exaraverat; tum P. Pirminus Roostius ad annum 1749 et P. Oswaldius Montfortius ad annum 1779 deduxerant. Minima modo fragmenta a R. P. Eubelio in opere jam citato [1] ex hoc tertio Annalium volumine citantur quod velimus Thannensium civitatis præpositi, ut editio completa sit, etiam prelo submittant.

In bibliotheca denique Universitatis Argentinensis asservatur codex, *Appendix ad Chronicon Thannense*, forsitan Zimberlini vel Mercklini manu conscriptus quo diarium guardianorum conventus Fratrum Minorum latino teutonicoque sermone a variis delineatum includitur, cujus pars maxima ad annum 1750 a P. Oswaldo Montfortio, reliqua inde ad annum 1755 a P. Luca Navarro composita fuit. Quæ appendix eadem mente inflata qua annales ipsi, de rebus potius internis monasterii tractat [2]. Haganoensis civitatis historiæ scriptor meritissimus, Victor Guerberius canonicus, Tschamserum nostrum quo tempore guardianus conventus Haganoensis (1727-1731) fuit ad usum fratrum illius quoque loci chronicon scripsisse, cujus volumen primum adhuc exstet affirmat, sublato tamen loco ubi lateat nec de codice ipso plura dixit nisi eum post P. Malachiam a P. Montfortio continuatum fuisse [3]. Centum fere annis antequam Annales P. Malachiæ Tschamseri integri ad lucem evocati fuissent Epitome eorum perbrevis eidem P. Oswaldio Monfortio attributa [4], Colmariæ typis mandata est [5] et nostro

[1] *Geschichte der oberrheinischen Minoritenprovinz*, I, p. 136, etc.

[2] *Beilage zur Thanner Chronik, das Tagebuch der Guardianen enthaltend*, 143 pag. in-fol. (L. Als. 171.)

[3] *Histoire de la ville de Haguenau*, II, p. 112, 123.

[4] Eubel, *Geschichte der Minoritenprovinz*, I, pag. V.

[5] *Kleine Thanner Chronik oder Jahrbüchlein von dem wunderbarlichen Ursprung, Aufkommen und heutigen Zustand einer lœblichen... Stadt Thann, vorgestellt von einem P. Franciscaner im obern closter allda.* Colmar, J. H. Decker, 1766, 96 pag. 12°, inter priores chronicorum alsaticorum editiones notanda.

quidem tempore excusa[1], sed quum nunc opus ipsum in manu habeamus minoris pretii videtur.

§ 28. De scriptoribus Alsatiæ topographicis sæculorum XVI--XVIII.

In ultimum dissertationis nostræ paragraphum aliquot contulimus opera quæ, etsi historica dici non possunt, natura tamen historicæ narrationis non omnino carent, opera ambigui generis historico-topographici, quo prioribus sæculis viri eruditissimi frequentissime utebantur qui una cum descriptione geographica locorum et regionum historica quoque facta promiscue exponebant. Ea igitur hic admittenda putabam ne quis censor severior id quoque in hoc opusculo multis jam vitiis laborante vituperet. Manifestum est tamen illa modo scripta commemoranda esse, quæ tota aut maxima de parte Alsatiæ consecrata sunt, non illa omnia in quibus paucis modo paginis regionis nostræ mentio facta est.

Primo loco inter topographos, ut ita dicam, Franciscus Friedliebius seu Irenicus — quo sub græco nomine eruditis magis notus est — Ettlingensis commemorandus est, qui anno 1495 natus, diu Heidelbergæ studiorum causa degens, reformationi Ecclesiæ adhæsit et ad officium ministri verbi divini in oppidum Gemmingen vocatus, ibidem anno 1559 denatus est. Beato Rhenano nostro Selestadiensi familiariter utebatur[2], atque Alsaticorum fatorum non ignarus, historiam monasterii S. Odiliæ scripsisse dicitur quæ vel nunquam in lucem edita vel omnino deperdita est[3]. *Germaniæ exegeseos volumina* duodecim seu libros conscripsit in quibus materiam copiosam non sine sollertia feliciter coacervavit, cujus operis uno eodemque anno (1518) editiones duæ Norimbergæ et Haganoæ prelo submissæ sunt[4]. Quæ Irenici *Exegesis* prima topographia

[1] Mulhausen, Risler, 1855, V. 97 p. 8º.
[2] Vide *Exegesim Germaniæ*, p. 44.
[3] Cfr. Wegele, *op. cit.*, p. 129.
[4] Germaniæ Exegeseos volumina duodecim a Francisco Irenico Ettelingiacensi exarata Hagenoæ, typis Thomæ Anshelmi anno salutis 1518 mense augusto. 1 vol. fol.

Teutoniæ integra est eaque de causa hic non prætermittenda, quanquam Alsatiæ regiones breviter modo in variis librorum capitulis attigit, notitiis « partim ex Wimphelingio, partim ex chronicis urbium » desumptis[1].

Multo accuratiorem provinciæ nostræ descriptionem apud Sebastianum Munsterum, Ingelheimensem[2], philologum, geographum et mathematicum sæculi XVI notissimum invenimus qui per triginta capita *Cosmographiæ* suæ[3] et geographiam Alsatiæ physicam exposuit et urbium omnium a comitatu Phirretico ad Landaviensem civitatem, adumbrationem historicam delineavit, sæpe hodie etiam lectu non indignam. Argentiferarum in valle Leberaviensi fodinarum descriptio multis cum figuris ab amico, fodinarum judice Haubensackio, auctori transmissa, demonstrat quanta cura Munsterus opus pro tempore splendidum exaraverit[4].

Geographicum præsertim opusculum liber est Helisæi Rœslini, Haganoensis civitatis archiatri, anno 1593 editus qui quasi appendix Chronicæ Bernhardii Hertzogii esse videtur[5]. Rœslinus de Alsatiæ inferioris regionibus ad Vosagum montem sitis, de vegetabilibus, balneis, etc. fusius loquitur et duodecimo capite (fol. 199-235) summariam Alsatiæ historiam romanam, francicam et germanicam ad bellum episcoporum usque (1592) concinnavit[6] eamque comiti Philippo Hanoviensi dicavit[7].

[1] Liber III, cap. 46 : De episcopatu Argentinensi (fol. 74). — Cap. 110 : De landtgraviis Alsatiæ (fol. 98). — Lib. VII, cap. 21 : De Vogeso (fol. 172). — Libro XI, urbes Germaniæ alphabetico ordine examinantur, ibidemque Argentuariam seu Colmariam (fol. 201), Argentoracum (*sic*) (fol. 202) et alias invenies alsaticas civitates, paucissimis verbis descriptas.

[2] Ingelhemii in Palatinatu inferiore anno 1489 natus, primum monachus tum Heidelbergæ Basileæque professor, ibidemque denatus anno 1552.

[3] Sebastian Munsters *Acht Buecher der Cosmographey oder Weltbeschreybung, etc.* Getruckt zu Basel durch Sebast. Henricpetri, prima vice anno 1544 in-folio et postea sæpius. Ultimam editionem anni 1614 (1575 pag. in-folio) citamus.

[4] In libro V, capita 17-47 Alsatiæ regionibus consecrata sunt (p. 838 ssq.).

[5] Cfr. Rœslini procemium, die primo augusti 1593 descriptum.

[6] *Des Elsass und gegen Lothringen grenzenden Wassgawischen gebirgs gelegenheit und commoditeten in victualien und mineralien... von alten monumenten und gedœchtnusszeichen... sampt vielen andern dieser landen gedenckwürdige Sachen, u. s. w. durch Helisœum Rœslin der Artzney doctorn.* Strassburg, bey Bernhart Jobin, s. dat. (1593), 235 p. in-18.

[7] De Rœslini vita nihil habeo quod dicam. Nec natalis annus nec exitus a vita apud Joecherum (*Gelehrtenlexicon*, III, col. 2175) vel alibi notantur.

Omnium ejusdem generis operum notissimum est[1] Martini Zeilleri, Ulmensis, *Topographia Alsatiæ* anno 1644 in lucem producta quam homines parum eruditi sub Mathæi Meriani Francofurtensis editoris nomine commemorare solent ; ea tertia pars est *Topographiarum* Meriani quæ, maxime iconum causa, et hodie ab antiquitatum amatoribus permagno emuntur. Textus compilationem habet, tum uberiorem, tum breviorem aut ex antecessorum scriptis sumptam (Bernhardum enim Hertzogium, Sebastianum Munsterum, Hieronymum Guebwylerum, Beatum Rhenanum, Kœnigshovii Chronicon manuscriptum, cum Stumpflii *Chronico Helvetico*, Crusii *Annalibus Suevicis*, Urstisii *Chronico Basiliensi*, Bruschii libro *de monasteriis Germaniæ* allegat) aut ex notitiis nonnullis quas ei amici vel patroni miserant. Sed historicis quoque, Zeilleri *Topographia* unice propter icones, alicujus est pretii, illæ enim per se ipsæ monumentum historicum dici possunt.

Ab eodem Martino Zeillero multa ad topographiam atque ad historiam Alsatiæ congesta sunt in *Itinere Germaniæ*[2] suo, apud Lazarum Zetznerum Argentoratensem anno 1632 impresso, cujus secunda editio, valde uberior, ab alio Argentinensi bibliopola anno 1674 in lucem producta est, ubi non solum varia itinera ad diversa regionis nostræ loca, hospitia, expensa cæteraque viatori

[1] *Topographia Alsatiæ, d. i. Beschreibung und eygentliche Abbildung der vornehmsten Stætt und Oerter im Obern und Untern Elsass, etc. an tag geben und verlegt durch Mathæum Merianum.* Getruckt zu Franckfurt am Mayn, in Wolfgang Hoffmann's Buch-Truckerey, im Jahr 1644. 53 paginis in-folio, cum quadraginta iconibus et chartis. — Editio secunda anno 1663 publici juris facta est, apud Johannem Georgium Spœrlinum impressa, 70 paginis in-folio, 51 iconibus locupletata. Duplici titulo hæc editio venumdata est si Waltzio credas (Catalogue Chauffour, p. 228).

[2] *Itinerarium Germaniæ, d. i. Reisbuch durch Hoch- und Nider-Teutschland... darinnen eine Beschreibung desselben vornehmsten Lænder... der bestellten regimenten, denckwürdigen Genealogien auch Kriegs-Thaten und historische und politische Discursen zu finden.* Strassburg, Simon Pauli, 1674, 676 pag. in-folio, et index. — *Itinerarii continuatio* anno 1639 jam descripta, ibidem anno 1674 489 paginis in-folio in lucem producta est. Nullus alius liber tam fidelem et accuratam S. Imperii Romano-Germanici imaginem lectoribus temporibus belli tricennis dabit, quam ponderosa hæc duo volumina, formidabiles enchiridiorum peregrinatorum nostri temporis antecessores.

commoda inveniuntur sed etiam ea quæ visenda sunt in urbibus et earum fata, sive brevi notitia sive accurato sermone exponuntur [1].

Descriptionem particulæ territorii Argentinensis paulo post exaravit Casparus Berneggerus, Mathiæ filius, reipublicæ consiliarius, anno 1675 editam et ordine alphabetico exstructam cum notis genealogicis et relatione prœlii Entzhemiani inter Turennium et Bournonvillium ducem quarto die octobris anno 1674 commissi, quod opusculum et hodiernis historicis non inutile habendum est [2].

Eodem fere tempore composita est *Descriptio Alsatiæ* Conradi Balthasaris Han, civis Norimbergensis sed ex alsatica stirpe orti, quæ *Seelzagendes Elsass* (Alsatia gemens) inscribitur, quo nomine plerumque citatur; ea temporibus belli hollandici delineata Ludovici XIV Gallorumque res gestas animo maxime infenso incusat [3]. Et Hanii opus re vera topographia Alsatiæ historica est, nam provinciæ urbes et oppida alphabetico ordine enumerantur et uniuscujusque loci fata anteriora, præsertim a temporibus belli tricennis breviter adumbrantur; itaque Meriani vel Zeilleri opus partim abbreviatum, partim continuatum id habendum est. Iisdem etiam fere fontibus utitur, præcipue diariis seu *relationibus semestralibus* quæ tunc temporibus nundinarum Francofurtensium, ut annuaria nostra, ad erudiendos rerum publicarum curiosos censorum permissu edebantur.

Topographiam provinciæ valde uberiorem triginta annis post alius qui ex Alsatia migraverat auctor, Franciscus Rupertus ab Ichtersheim seu Ichtratzheim, anno 1710 emisit [4], quam optimo

[1] Sic, exempli gratia, Argentoratensium civitati in *Itinerario* decem folia (p. 209-218) consecrantur; itineraria ad urbem et ex urbe fol. 190-269 exponit auctor.

[2] *Descriptio particulæ territorii Argentinensis, kurtze Beschreibung ettlicher Stætte, Schlœsser und Dœrffer, welche umb Strassburg gelegen... herausgegeben zu Anfang dess 1675 Jahrs.* Sine loco (Strassburg) et nom. typogr. 73 pag., 4 pag. supplem., in-folio.

[3] *Das Seelzagende Elsass, d. i. aussführlich alt und neue Beschreibung des altberühmten, schœnen, edlen, jetzt fast œden Land-Graventhums Alsatiæ, mit Erzehlung deren von Cron Franckreich etzliche Jahr hero beschehenen Invasion, etc.* durch Paul Conrad Balthasar Han, Nurnberg, in Verlegung Leonhard Loschge, XXX, 408 pag. in-16, cum iconibus.

[4] *Ganz neue Elsassische Topographia, d. i. der so wohl vor- als jetztmahlige Estat des gantzen Elsass, samt dero Angehœrungen alss dass Els- und*

jure ipse novam esse dixit, nam et meliore methodo quam antecessorum opera exstructa est et res multas in ea nondum in libris notatas reperimus [1]. Nec mirum quum Rupertus noster ex nobili alsatica stirpe ortus, diu in ea provincia ubi pater ejus vallis S. Amarini in principatu Murbacensi summus præfectus erat, vixerit neque postea affines aut amici in nostra regione ei defuerint, qui documenta notitiasque ad adjuvandum laborem ei mitterent. Opus ipsum quod principi Johanni Friderico de Lamboy episcopo Passaviensi dicatum est, etsi teutonicarum rerum studio imbutum, hostili interdum in Gallos animo inflatur, regi tamen Ludovico passim laudes multas de statu novo provinciæ tribuit, quæ quidem eo tempore conscriptæ sunt quo, post iteratas nostras in Belgis clades, neque homo quisquam res publicas gerens dubitabat neque Ludovicus ipse recusabat quin Alsatia seu partim, seu forte tota ad S. Imperium Romano-Germanicum mox reditura esset.

Historiæ plura quam geographiæ tribuit *Descriptio universalis Alsatiæ Superioris et Inferioris* a Ludovico Frederico Scharffenstein anno 1734, typis mandata [2], quæ temporibus belli polonici tribus capitulis consarcinata est « ut historiam provinciæ lectori benevolo et rerum gestarum studioso breviter exponeret et nonnullos P. Laguillii errores corrigeret, postquam ipse per aliquod spatium temporis in Alsatia domicilium habuit [3] ». Pars prima Alsatiæ fata ab originibus ad annum 1600, secunda vero ad annum 1681

Suntgau, Obermundat, Kochersperg, Wassgaw, u. s. w. durch Frantz Ruprecht von Ichtersheim, Pannierherrn in und zu Hochfelden. Regenspurg, bey Joh. Zachar. Seidel, 1710, VI, 120, 119 pag. 4°.

[1] Omnes, ut exemplo utar, vici, et minimi cum possessorum nominibus enumerantur et in descriptionibus geographicis, auctor amore sane quidem amissæ terræ natalis impulsus, locorum amœnitates coloribus vividioribus, nec frustra, depingere conatus est.

[2] *Historische General-Beschreibung von Ober- und Nieder-Elsass, samt dem Sundgau... worinnen die General-Historie von Julio Cæsare biss zum letzten Friedensschluss kürzlich verfasset, nebst einer gantz neuen geographischen Special-Beschreibung... an's Licht gestellt von M. L. F. S.*, nebst einer Vorrede Joh. Gabriel Doppelmeyern, M. P. P. Franckfurt und Leipzig, Felssecker, 1734, 356 p. in-18 cum indice.

[3] Vide Doppelmeyeri prooœmium. De auctore ipso nihil nisi nomen, quibusdam exemplaribus operis manu inscriptum, nobis cognitum est.

enarrat, tertia denique res annis 1681-1714 gestas exponit (p. 1-292). Quibus geographica descriptio Sundgoviæ, Alsatiæ Superioris et Inferioris omniumque arcium, cæstellorum et propugnaculorum Alsatiæ atque Brisgoviæ enumeratio quinque paragraphis additur (p. 293-356). Scharffensteinii compilatio, cæterum non valde laudanda, recentiorum historiarum alsaticarum prima est germanico sermone conscripta ; quamvis auctor ipse fateatur se præcipue ex opere R. P. Laguillii materiam sumpsisse, tamen mihi potius lutheranus quam religioni catholicæ addictus fuisse videtur quum nonnunquam de reformatione Ecclesiæ in enarrandis sæculi XVI rebus loquatur, editorque libri, Johannes Gabriel Doppelmayerus, eum proximis temporibus historiam Alsatiæ ecclesiasticam et Reformationis alsaticæ narrationem, divina favente gratia, in lucem editurum esse spondeat[1].

Ordinem chronologicum si sequimur, nunc quoque opusculum citandum est personæ istius ambigui sexus, in rebus sæculi XVIII diplomaticis secretis sæpius delegatæ, equitis Eonii de Beaumont, quod *Investigationes de provincia Alsatica historicæ* inscribitur [2], in quo viginti tribus capitulis status Alsatiæ œconomicus et regimen politicum satis ingeniose exponitur ; sed ab historicis rebus tamen nimium abscedit quam ut istius elucubrationis mentionem uberiorem faciamus.

Sigismundus Billingius Colmariensis, antea jam sæpissime commemoratus, etiam hac sub rubrica allegandus est quum calamo, licet anonymo, *Historiam et descriptionem Alsatiæ* [3] et incolarum ejus ab antiquissimis ad recentissima tempora descripserit, anno 1782 editam et ex Schœpflini *Alsatia illustrata* præsertim compilatam, sed variis documentis œconomicis et statisticis

[1] *General-Beschreibung*, p. 244.

[2] *Les loisirs du chevalier d'Eon de Beaumont... sur divers sujets importants d'administration, etc. Amsterdam, sans nom d'auteur,* 1774, 8°. T. I, p. 257-392 : *Recherches historiques sur la province d'Alsace.*

[3] *Geschichte und Beschreibung des Elsass und seiner Bewohner von den œltesten bis in die neuesten Zeiten.* Basel, Deckerischen Buchdruckerey, 1782, LVI, 371 pag. in-18.

notulis ornatam, optimum pro tempore studiosis manuale, ex quo aliquot et hodie indicationes utilissimæ sumendæ sunt.

Nominis Hautemerii, in Ecclesia cathedrali Argentoratensi cantoris, jam priore paragrapho mentionem fecimus, cujus *Descriptio historico-topographica Alsatiæ* anno 1783 quatuor voluminibus absoluta, in bibliotheca Universitatis Argentinensis reposita est[1]. Tomo primo brevis universæ provinciæ adumbratio inest, postea Sundgoviæ balliviatus, stemmata et familiarum nobilium insignia describuntur, tomo secundo Alsatia superior, tertio vero volumine et quarto Alsatia inferior, Argentorato excepto[2], illustrantur. Autographum Hautemerii manuscriptum, multas lituras et additamenta exhibens atque indice alphabetico locupletatum, opus est laboris ardui et omni laude dignum; eo magis dolendum est id non illo tempore in lucem editum fuisse. Nostro quoque, non sine fructu a compilatoribus topographiæ Alsaticæ novæ perlustraretur.

Minime contra Francisci Ignatii Woogii *Theatrum Alsaticum* laudandum est quod, ab honesto quodam Sultzensi ludimagistro compilatum, nullo modo cum Billingii *Descriptione* comparari potest, et hac de causa conscriptum esse videtur, ne devoti Ecclesiæ filii hæretici cujusdam historia uti cogerentur. Si auctorum citationibus modo pugnandum esset, Woogius absque dubio victor esset, quum apud eum non sine stupore quodam et Lucanum et Plutarchum, et Bedam Venerabilem et Tillemontium aliosque inveniamus de quibus, quid ad Alsatiæ historiam valeant dicere difficillimum est, nec verosimile videtur illum vel Sidonium Apollinarem, vel Fredegarium, Spenerum aut Specklinium ipsum perlegisse; materia narrationis mihi ex Laguillio et ex Schilteri Kœnigshovio fere tota desumpta videtur[3].

[1] *Description topographique, historique et généalogique de l'Alsace* par M. de Hautemer, 1785, 165, 212, 307, 321 pag. in-folio (L. Als. 154).

[2] *Description* III, p. 271, quia Argentoratensium historia speciali enarratur opusculo.

[3] *Elsæssische Schaubuehne oder historische Beschreibung der Landgrafschaft Elsass... aus den alt- als neuen Geschichtsbüchern und Geographen... zusammengetragen durch Fratrem Ignatium Woog, der Zeit der freyen Künsten und studierenden Jugend zu Sulz Lehrer.* Strassburg, bey J. H. Heitz, 1784, 452 pag. in-18.

Ineditam Alsatiæ topographiam ex anno 1787 servat bibliotheca civitatis Argentinensis nova, ex dono domini Camilli Schœllii Alsato-Tabernensis [1], dialogorum sub forma, germanice et gallice (quo facilius doceretur historia) ab anonymo, videlicet a clerico composita, qui de amicitia tum inter Gallorum et Austriacorum imperia inita valde lætabatur (p. 39).

Truncatum opus quod, si fatis placuisset, omnia ejusdem generis opera quæ et antea et multis annis postea conscripta sunt, longe superavisset et quod, etiam mutilum, auctoris eruditionem egregie demonstrat, *Dictionarium* est *Alsaticum* a Philippo Xaverio Horrer compilatum. Natus est Colmariæ anno 1746, ubi pater Consilii Supremi assessor erat; ipso primum ad idem Consilium advocatus fuit, tum a Magistratu Argentoratensi archivarius (1773-1787) institutus, postea ballivius Wasselnheimianus nominatus est; anno 1790 ad senatum provinciæ delegatus [2], paulo post trans Rhenum emigravit, et, ut alii volunt, apud Condæum principem militiam gessit, nescioque quo anno in Mosquensi civitate in Russorum finibus, tribunus bombardarum emeritus mortuus est [3]. Alii eum exulem apud principem Rohanium cardinalem Ettenheimii in margraviatu Durlacensi vixisse affirmant. Ille vir doctus et critico ingenio præditus indefesso labore materiam longos per annos coacervavit ut historiam topographiamque provinciæ totam ordine alphabetico digereret et 1787 primum volumen, anonymum tamen, sexcentarum paginarum in lucem edidit quo duæ modo primæ alphabeti litteræ absolutæ sunt [4]. Opus manuscriptum jam pæne confectum

[1] *Histoire d'Alsace* (*finie le 27 août 1787*), 174 pag. in-folio (Mss. n° 2). Octo sunt dialogi : 1. *Questions préliminaires.* — 2. *De la religion et des mœurs des anciens Germains.* — 3. *Étendue de l'Alsace.* — 4. *Division de l'Alsace.* — 5. *Des villes de la Haute-Alsace.* — 6. *Des villes de la Basse-Alsace.* — 7. *Des collégiales en Alsace.* — 8. *De la fertilité de l'Alsace.*

[2] *Délégué à l'Assemblée provinciale d'Alsace.*

[3] Quæ facta enuntiantur in notitia anonyma quæ periodico Argentinensi ab Augusto Stœbero publicato inserta est, *Erwinia*, Argentorati, 18. augusti 1838 (p. 129).

[4] *Dictionnaire géographique, historique et politique de l'Alsace*, tom. I. Strasbourg, Levrault, 1787, XVI, 596 pag. 4°. Petitio Horreri ad magistratum Argentinensem ut imprimatur opus, archivo civitatis (A. A. 3258) inest. Solum vocabulum *Alsace* 151 paginas implet. Et diplomata et acta varia, recentiora tamen (ex annis 1717-1784) addita sunt.

fuisse dicitur; quum vero magna rerum in Gallia mutatione totus Alsatiæ status antiquus eversus et renovatus esset, splendido quasi summario temporum peractorum frustrati sumus, nam Horrerus ipse e regno migravit et capsulas notasque trans Rhenum secum abduxit. Quarum quæ fata fuerint parum constat neque scimus num id verum sit quod nobis asseveratum fuit, aut in bibliothecam publicam aut in archivum Carolsruhæ post Rohanii mortem illa manuscripta translata fuisse[1]. Sed ubicunque nunc latent, id tamen affirmare possumus, sexaginta ante annos adhuc in loco exstitisse eruditis pervio, quoniam anno 1837 vir humanissimus Carolus Bœrsch, in periodicum Argentinense vocabulum Horrerii *Colmar* ab verbum inseruit[2]. Et quod Horrerius post Schœpflini Grandidieriique mortem facile eruditissimus rerum Alsaticarum recentiorum dici potest[3], valde deplorandum est tam amplam documentorum messem pari calamitate ac illas bibliothecarum incendio obrutas reliquias, oppressam esse et in pulvere archivorum quasi sepultam jacere, nisi forte, messore adempto et ipsa jam pridem adempta est. Dignus certe fuit auctor propter eruditionem et ingenium qui longam illam virorum Alsaticorum seriem compleret, qui per tot sæcula historiarum studiis ad majorem patriæ gloriam sese dederunt et si, nescio quo felici fato, manuscripta ejus unquam ex latebris resurgerent, ballivii Wasselnheimensis inchoatum opus ad finem ducere pius esset nec ingratus labor.

Conclusio.

Cyclum igitur historiographiæ Alsaticæ a primordiis barbarorum sæculorum ad limina sæculi nostri pro viribus evolvere conatus sum. Ex priscorum annalium rudimentis Vitisque Sanctorum nar-

[1] Quam opinionem a Strobelio et Aufschlagerio emissam, notitia *Erwiniæ* supra citata falsam nulloque argumento firmatam declarat, quo vero jure nescio.

[2] *Revue d'Alsace*, Strasbourg, 1837, tom. II, p. 293-324.

[3] Id etiam ex notis pretiosissimis apparet quas Horrerius exemplari autographo suo Memorialis intendantis provinciæ, Jacobi de La Grange (1697) adjecit, quod nunc in bibliotheca civitatis Argentinensis nova asservatur.

rationes arte jam quadam ornatæ et doctrina solidiore instructæ medii aevi exeuntis prodierunt, et ex eruditis humanistarum tirociniis tardo temporum progressu præclara monumenta sæculi XVIII quæ et hodie apud posteros locum non humilem obtinent provenerunt. Tum eversio rerum irruit universa et patriæ perturbatione terribili historiarum quoque studia aliquandiu perturbata sunt.

Per prima sæculi XIX decennia cura rerum publicarum, bella, artes operosæ, commercia, theologorum controversiæ, ars musica, litteræ minorem apud nostrates eruditioni locum reliquerunt etsi non omnino historicis Alsatia tunc caruit, nam Johannis Friesii, Johannis Gothofredi Schweighæuserii, Philippi Golberii, Johannis Friderici Hermanni, Mathei Miegii, aliorum nomina non sine laude commemorare possumus. Sed posteriore tempore historiographiæ nostræ aetas quasi aurea quædam coorta est, quæ ne hodie quidem absoluta videtur. Sexagesimum jam annum immensa congeries materiarum ad historiam provinciæ nostræ scribendam pertinentium accumulata est; ubique documenta, chronicæ, relationes variæ ex archivis et bibliothecis extrahuntur, cartularia urbium et territoriorum assiduo labore compilantur, ubique non modo civitates magnæ et seu fatis seu civium numero præstantes sed etiam oppidula modestissima annalistas suos habent et quum olim paucitas historiarum scriptorum deploraretur, mox de numero immodico illorum qui se ad studium rerum alsaticarum contulerunt, forsan lamentandum erit. Nam profecto non semper cognoscendi laudanda cupido recentiores ad improbum laborem impellit et nimium sæpe rationes historiarum fide alienæ eruditorum mentes et calamos dirigunt. Neque veritatem omnes quocunque eos ducet, dociles sequuntur, quum dissidiis et politicis et theologicis serena illa animorum æquanimitas turbetur quam a fidelibus discipulis Clio severa requirit.

Attamen si quis, sæculo proximo, historica scripta quæ nostri posteris tradiderunt æquo animo inspiciet, negare non poterit, ut equidem mihi persuasi, industriam coævorum nec parvam nec in explorandis soli natalis fatis omnino vanam fuisse atque eruditorum qui vestigia doctissimorum sæculi præteriti virorum fortiter secuti

sunt magnam catervam commemorabit, Andream Jung, Timotheum Guillelmum Rœhrich, Adamum Gualterum Strobel, Ludovicum Schneegans, Fridericum Carolum Heitz, Carolum Gérard, Ludovicum Spach, Georgium Stoffel, Augustum Stœber, Johannem Brucker, Xaverium Mossmann, Josephum Gyss, Carolum Schmidt, ut de mortuis modo valedicens gratoque animo loquar, qui mihi fere omnes seu præceptores benevoli fautoresque studiorum ab initio liberales sive collegæ jam venerabiles et amicissimi fuerunt.

ADDENDA ET CORRIGENDA

Pagina 3, linea 18. Lege *Georgii* Studer loco *Josephi.*

P 17, nota 4. Lege *Franciscus Josephus* loco *Fridegarius*. In confusionem quamdam patris et filii, et hac de causa in pagellis nostris incidimus, quod Franciscus Josephus Mone collectionem *Fontium Badensium* suo nomine edidit, Fridegarius vero filius, quæ ad nostra spectant, tomo tertio tractavit.

P. 25, nota 8. Quum paragraphum de Erckenbaldi *Catalogo Episcoporum* sub prelum mitterem, nondum in lucem productus erat tomus primus novæ seriei *Operum ineditorum* Philippi Andreæ Grandidierii, quo nos R. P. A. Ingold nuperrime donavit. Ibidem (*Nouvelles Œuvres inédites de Grandidier,* Colmar, Hueffel, 1897, in-8°, I, p. 311—396) commentarium invenies accuratissimum, in quo tamen, re vera, dissertatio de arte diplomatica generalis inest, historicæ vero catalogi difficultates innumeræ breviter tantum tractantur.

P. 46. De Petro Hermanno ab Andlo, his diebus proximis, dissertatione nostra tota jam typis expressa, doctissimi Josephi Hurbini, antea jam collaudati viri, opus novum (*Peter von Andlau, ein Beitrag zur Geschichte des Humanismus am Oberrhein*, Strassburg, Heitz und Mündel, 1897, XII, 286 p. 8°) editum est quod de Petri vita nonnulla, de jurisconsulto multa non inutilia, de historiarum vero scriptore, ne notulam quidem affert novam, tribus in pagellis quibus materia continetur (p. 114—117). Hurbinus quum Petrum nostrum antea *Hermannum*, gentilicio nomine *Petrum* ex *oppidulo* Andlavio natum declaravisset, nunc eum *Petrum ab Andlo* ex nobili stirpe, forsitan vero ex illegitimo conjugio natum, concedit. Si domino Materno Berlero credimus (*Code diplomatique de la ville de Strasbourg*, I, 2, p. 74) domini Georgii ab Andlo, Lautenbachii præpositi nepos simul et successor

beneficii fuit; sed quoniam Maternus septuaginta annis post Petrum e vita decessit, hæc mihi notitia chronistæ Rubeaquensis argumentum non admodum firmum affere videtur.

P. 54, l. 22. Lege *Franciscus Josephus* loco *Fridegarius.*

P. 59, nota 4. Lege *Dunzenheimianum* loco *Drusenheimianum.*

P. 64, l. 12. Lege *Franciscus Josephus* loco *Fridegarius.*

P. 68, l. 1. Hoc fere loco et Sigismundum Meisterlin, monachum S. Afræ Augustanum enumerare debebam, qui, circa annum 1430 natus, chronicas et chronographias Augustenses et Norimbergenses potissimum conscripsit, attamen alsaticus dici potest, quia annis 1464—1469 in Murbacensi monasterio collocatus et anno sequenti Rubeaci per aliquot temporis degens, notulas varias, epistolas, documenta, nec non annales in usum prædicti monasterii collegit, quæ scripta Colmariæ in bibliotheca publica (Mss., nº 45) asservata sunt. Postea vero, Alsatiæ finibus derelictis, Meisterlinus in patriam rediit, ubi ad annum circiter 1489 vixisse dicitur. (Cfr. O. Lorenz, *op. cit.* I, p. 101, II, p. 407. — H. Haupt, in periodico *Westdeutsche Zeitschrift*, tom. IV, p. 302, et P. Joachimssohn, *Die humanistische Geschichtsschreibung in Deutschland, I. Die Anfænge. Sigismund Meisterlin.* Bonn, 1895, in-8º).

P. 69, l. 4. Tolle *Josepho* ante *Fridegario.*

P. 69, l. 8. Lege *Kintzheimiano* loco *Kinshemiano.*

P. 73, nota 1. Notitiæ ad Jacobi Wimphelingii Selestadiensis vitam pertinentes et a Jacobo Jeremia Oberlino collectæ nuperrime bibliothecæ civitatis Argentinensis dono concessæ sunt et servantur ibidem sub numero 164ª manuscriptorum, quæ idcirco hic memorandæ sunt, quod forsitan fragmentum *Alsatiæ litteratæ* Schœpflini eruditis afferunt.

P. 94, l. 2. Sebastianus Munster scriptor alsaticus quidem dici non potest quum e Palatinatu ortus, Basileæ plerumque vixerit et sepultus sit, sed pervetere jam usu nostris adnumeratur.

P. 102, l. 29. Quantum absit ut de Hertzogii nostri opere tam contemptim judicarent viri rerum publicarum periti et inde perspicimus quod, sæculo XVII jam senescente, gallica versione totum ad usum Colbertii translatum est et in bibliotheca Colbertina quatuor voluminibus in-folio, superiore sæculo, asservabatur. (R. P. Le Long, Bibliothèque historique, III, p. 588.)

P. 106. l. 11. De fragmentis *anonymis* quæ vir doctissimus Leo Dacheux, postquam ea separatim edidit quæ certo auctori tribuenda erant, ut membra direpta reliquiasque ultimas historiographiæ Argentinensis in lucem produxit (Bulletin de la Société pour la conservation des Monuments historiques d'Alsace, Strasbourg, 1896, p. 1—181.) non hic in brevissimo auctorum catalogo loquendi locus est. Quid ad hodiernum

diem e tanta strage annalium et chronicarum civitatis liberæ servatum sit, nunc e repertoriis bibliothecarum Argentoratensium nuperrime publici juris factis facile perspicitur. Cfr. doctissimi viri Caroli Augusti Barack opus, *Katalog der K. Universitäts- und Landesbibliothek in Strassburg*: Elsass-Lothringische Handschriften und Handzeichnungen (Strassburg, Heitz, 1895), p. 35—108, et opusculum meum, *Les manuscrits alsatiques de la Bibliothèque de la ville de Strasbourg*, Paris, Fischbacher, 1897, p. 5—12, 18—24.

P. 111, l. 26. Hæc chronica, quam ad annum 1660 usque continuatam Stædelii nomine designavi (R. Reuss, *Les manuscrits alsatiques de la bibliothèque de la ville de Strasbourg*, in periodico *Revue d'Alsace*, 1897, p. 24) quod in Stædeliorum familia diu servata fuit, cum Chronica Josiæ Stædelii propria non confundenda est, de qua pag. 125 dixi et quæ anno 1870 flammis destructa est.

P. 123, nota 4. Mathæus ille Quad qui hoc in loco Chronicæ Ahlfeldianæ citatur (re vera Mathæus Quadratus), rector erat scholæ Eppingensis oppidi, tum comitibus palatinis oppignorati († 1613) et in usum hominum minus eruditorum varia opera historica et geographica scripsit, inter quæ librum de gloria germanicæ nationis.

P. 173, nota 5. Et ex fragmentis quæ nuperrime doctissimus canonicus Leo Dacheux e chartis recentiorum quorumdam eruditorum alsaticorum summa patientia collegit, vidimus Kuenastii *Argentoratum* opus fuisse amplissimum quum (Bulletin des Monuments, 1896, p. 136, 137) pagina 961 tomi primi, pagina 553 tomi secundi citentur.

P. 176, l. 16. Lege *Kientzhemii* loco *Kienzhemii.*

P. 197, nota 4. Et in nova editione Reverendi Patris Le Long doctissimus Fevret de Fontette *Alsatiam Diplomaticam* Schœpflini nec non *Scriptores alsaticos* enumerans, scribebat: « Ces deux importants recueils s'impriment actuellement (1771) par les soins de MM. Koch et d'un autre savant élève de M. Schœpflin, qui vient de mourir à Strasbourg le 17 août 1771. » (*Bibliothèque historique*, III, p. 587.)

P. 203, nota 4. Lege *Franciscus* loco *Fridegarius.* — Caput de Grandidierii scriptis jam in typographorum manibus erat quum e prelo Rixhemensi primus ille tomus *Operum ineditorum* prodiit, quem tanquam sequentium præcursorem amicissime saluto. Nam etsi vitam ab ipso conscriptam et itinera doctissimi scriptoris, bibliographiamque a R. P. Ingold summa diligentia instructam grata mente accepimus, majore tamen gratia *Alsatiam sacram* illius e manibus accipiemus. (Nouvelles Œuvres inédites de Grandidier, Éloge, Autobiographie, Voyages, Dissertations historiques. Colmar, H. Hueffel, 1897, XIV, 450 p. in-8°).

P. 206, l. 1. Johannes Georgius Heckheler non anno 1669 sed 1696 defunctus est.

P. 207, nota 2. Hujus *Descriptionis* textus a senatore Johanne Georgio, filio opificis ecclesiæ cathedralis, juris utriusque seu medicinæ doctore, conscriptus in opusculo Ludovici Schneegansii, *Strassburger Münstersagen* (Sancti Galli, 1852) usque ad folium 192 manuscripti, sæpe citatur. A doctissimo archivario circa annum 1732 compilatus esse dicitur, notitiis paternis ad filii usum allatis, id quod ex historia facti cujusdam singularis, quod mense novembri anni 1680 magistro operis contigit, satis apparet.

INDEX PERSONARUM LOCORUM ET OPERUM

A

B

H

I

J

K

L

M

N

O

P

Q

R

S

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
Idibus mart. ann. MDCCCXCVII
Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi Decanus

A. Himly.

Typis mandetur
Academiæ Parisiensis Rector,

Gréard.